M. TVLLII BEROII
BONONIENSIS
RVSTICORVM
LIBRI DECEM.



BONONIAE,
Apud Ioannem Rosſium.
MDLXXVIII.
Curiæ Epiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

M. TVLLII BEROII
BONONIENSIS
RVSTICORVM
LIBRI DECEM.



BONONIAE,
Apud Ioannem Rossium.
MDLXVIII.
Curiae Episc. & S. Inquisit. concessu.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
VIRO D. GABRIELI
PALAEOTO.

S. R. E. Presbytero Card. & Bononiensis
Episcopo, Domino suo
Clementissimo.

PRAECLARE Isocratem, ac commodè in primis illud scripsisse, semper existimaui, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, oportere filios, non solum fortunarum patris, sed etiam amicitiarum hereditatem adire. Itaque cùm procedente ætate, quanto pater meus Marcus Tullius, Illustrissimam amplitudinem vestram studio coluisset, iam inde à primo ætatis suæ initio, didicissem, in eadem mihi disciplina sanctè manendum existimaui, vt me ad eandem, quocunq; possem officij genere, complectendam conferrem. Quæ caussa fecit,

vt cum poemata eius quædam rerum rusticarum edenda ad domesticam ingenij eius conseruandam memoriam suscepissem, ea Illustrissimæ amplitudinis vestræ nomini consecrare more iam instituto voluerim, vt ipsa intelligeret, nõ minus esse voluntatis in filio ad amplissimi patroni gratiam retinendam, ac fuit in parente ad promerendam. Versus sunt præterea casti, & castam agrestium disciplinam complexi, in qua etiam pastoralis ipsa ratio continetur, cuius ipsi similitudinem in animis nostris ad pietatis laudem excolendis accuratissimè exprimit. Quare, & si spero fore, vt vtraque de caussa officium hoc amplitudini vestræ ingratum non sit futurum, ipsam tamen oro, vt consilium, factumq; meum in bonã partem accipiat, & me loco parentis mei in numero suorum clientum ascribat. Deus ipsam diu tueatur incolumem. Bononiæ. XVI. Kal. Aprilis: MDLXXVIII.

Illustriss. ac Reuerendiss. Amplit. Vestræ.

Deditiss. Augustinus Beroius Iunior.

PETRI ANGELII BARGAEI ODE AD M. TVLLIVM BEROIVM.

QVICVNQVE, veram te quietem persequi
Diserte Beroi putat:
Vnumque te miratus, vno in te stupet:
Haud errat is, me iudice.
Nec hercle dico hoc ipse, quòd parentibus
Virtute claris, & loco,
Et ciuitate peruetusta, sis satus:
Diuesque opibus, & copijs
Tuæ beatus incolas sedes domus,
Solumque dulce patriæ:
Felicitatis plurimum tibi hæc licet
Afferre non vlli negent:
Sed quòd subacti dotibus pulcherrimis
Ornatus ingenij colis
Musas ab vrbe procul, & ab negotijs
Vitæ molestioribus:

Canisq;

Canisq; lætus fertilis ruris bona,
Et, quæ sequatur singulas
Horas voluptas, quoq; fallamus modo,
Si nos quid vrit turbidos.
Nec Vere, cum soluta nix Fauonijs
Lapsus adauget fluminum,
Non dicis, almæ vitis vt propagines,
Tenerrimiq; palmites.
Hinc inde gemmas turgidas trudant suas:
Vt induant sylvæ comas,
Arbusta florem, molle gramen pascua:
Quod mox petulcæ tondeant
Morsu capellæ: dum per asperos vepres
Lasciuientes gestiunt:
Vt rore dulci, & vuidis herbis oues
Pastæ reuertantur domum:
Agnisq; clausos mane quos reliquerant,
Distenta portent vbera.
Quin pertinaces addis, vt cantus die
Noctuq; Aedon integret:
Dum voce rura, voce mulcet æthera:
Totumq; iam flammis dolet
Nouis peruri pectus, & medullulas
Amoris æstu liquier.
Quos haurientes auribus questus, vagas
Ducunt choreas cum suis
Mixtæ puellæ amantibus, sub ilice
Densa, vel vlmo sub caua:
Afflantq; passim mutuæ mentem omnium,
Et ossa peruadunt faces:

Faces

Faces iugalis illices cupidinis,
Castoq; amori præuiæ.
Quid? quæ canenti præstat vni non iners
Aestas tibi solatia?
Siue arua aduncæ dentibus falcis metis,
Seu tu maniplos alligas,
Spicis ue grana discutis flauentibus,
Altum ue iacta ventilas.
Seu cum meridiatus exis vespere,
Et aspicis lætos greges
Cubare villæ limen ad notum tuæ,
Eruoq; præpingues boues.
Vel cum celebras luce festa ludicrum
In gratiam viciniæ:
Soluisq; dulce præmium victoribus,
Quod quisq; se dignum ferat;
Atq; inde, cum se torridus fregit calor,
Aut amne proximo lauis,
Lymphaq; temperata te refrigeras,
Salubribusq; balneis:
Aut conticentem suscitas Musam lyra,
Fidesq; contentas moues,
Neruisq; molle carmen aptas, suauiter
Quod accinunt puellulæ.
Iam verò ad illas quisquis oculos verterit
Suos, tibi quas exhibet
Autumnus vuas vite ab alta pendulas,
Et poma, quæ carpas manu,
Feruensque mustum, quod cauo exceptum lacu
Pressos reponas in cados:

Quisquis

Quiſquis per agros,& vepreta viderit
  Vrgere te ſemel feras:
Atque impedire retibus denſiſsimis,
  Viſcoq́ue deceptas aues:
Verè beatum Marce Tulli te putet,
  His qui fruare commodis
Et ruri,& ipſa in vrbe: dum complecteris
  Vitæ latentis ſingulas
Laudes venuſto perſecutus carmine:
  Quod in futurum dulcibus
Nymphis dicatum (ſi qua vatibus fides)
  Non vlla delebit dies.

M. TVLLIVS BEROIVS BONONIENSIS.

AD PETRVM VICTORIVM.

VICTORI doctissime, si vacat, accipe cur hæc
Nostra tuum nomen pagina fronte gerat.
Quidq; ad scribendum potius solatia ruris
Me impulerit: fiet non mora longa nimis.
Mittere decreram magno mea Rustica patri:
Quem ditis tellus edidit Insubriæ.
Et super affari meditabar talibus illum;
Quæ precor intenta mente, oculisq; legas.
Dent alij solido ex auro tibi poma merenti,
Quæcunq; (vt perhibent) fert Damascenus ager.
Vnde excerpta olim pernici terna puellæ,
Virgineam Zonam dissoluisse ferunt.

Insuper ijs addam, quæcunq; fororibus Afris
Peruigil Hesperio seruat in orbe draco.
Ipse ego, quod possum, tenui pendentia ramo
Hæc tibi nunc mitto præcoqua mala decem.
Quæ non uel Cyri dites, vel Adonidis horti:
Quæ non Cecropij docta vireta Senis.
Non horti seu Nympharum, quos surgere ad astra
Aeolia iussit Lesbia virgo lyra:
Seu Charitum, Venerisq; perenni flore nitentes.
Vnde sibi vates florida serta petunt
Non Corcyræi tulerunt pomaria regis:
Hortulus Andæa sed mihi cultus ope.
Forsitan hic fructus mox efferet vberiores,
Si modò Castalijs sæde rigetur aquis.
Nunc autem quæ poma tibi pro tempore dono:
Accipe felici qualiacunq; manu.
Et Iovio trade, & culto libanda Manvtio,
Et claro Aonij Gerio ab arte chori.
Et magno Vrsino: qui profert furta Maronis;
Mintvrnoq; sacram cui dat Apollo lyram.
O si vitali frueretur Zanchivs aura:
Quo vates nusquam doctior alter erat.
O si Flaminivs, sacro cui rore Thalia,
Hyblæisq; Venus tinxerat ora fauis.
Et carus Phœbo ante alios Frastorivs, astra
Parta sibi meritis non petijsset adhuc.
His adeò libanda dares hæc nostra. sed ipsos
Ante diem nobis inuida Parca tulit;
Hæc eadem sine quæso tuis inolescere ramis;

Sem

Semper florebunt hinc magis, atq; magis.
Curabuntq; trucis Boreæ fera murmura; quantum
Latratus timidi torua leæna canis:
Qui procul inspectam allatrat, caudamq; sub aluum
Reflectens, turpi se rapit inde fuga.
Hæc magno patri meditabar mittere. sed nunc
Omnia VICTORI maxime mitto tibi.
Et iure. hæc etenim tibi sunt addicta merenti:
Cum mea mancipio FELSINA facta tua est.
Hæc mihi iam poteras condicere forte moranti
Amplius: integra debita soluo fide.
Ipse meam certè non aspernabere Musam:
Quamuis sit tenuis, nataq; ab vrbe procul.
At tu magne senex parua hæc quoq; munera nostra
Nostri in te magni pignus amoris habe.
Sic doctis æterna tuis sit vita libellis
Tuq; alijs viuens serius astra petas.

IDEM CANDIDIS ET ERVDITIS LECTORIBVS.

ADESTE, vos, per sacra quæso numina
Musarum: adeste, si lubet, FRIZOLII
CAPILVPI, AMALTHEI, VENERIQ; optimi,
Meiq; BARGAEI, meiq; GAMBARAE,
Vosq; o MVRETI, CYNTHII, PIGNAE, ROTAE,
Et quot quot vbicunq; estis eiusdem notæ
Clarissimi doctarum alumni virginum.
  Sed ante quam dicam, quid à vobis velim:
Docebo quàm breuissimè, quæ singulis
In his libellis continentur: queis bonum
Hortor sodalem amara linquere vrbis, &
Venusta, amæna, dulciaq; rura petere:
Iucundius vbi, puriusq; agi potest
Vita hæc breuis; illa æterna quæri facilius.
  Primo in libello Ver nouum describitur,
A rebus ætherijs, & à terrestribus,
A Dijs agrestibus, omnibusq; animantibus,

Dul-

Dulcis refertur deinde rusticantium
Cætus sodalium, Secundus continet
Sacrificium, puellæ amorem, breueq; iter,
Et cantiones, hortulumq; floreum
Cum fonte, fatoq; veteri puellulæ.
Tertius habet aues cortis, & lactificium.
Et prandium, & narrationem rusticis
De rebus, improbiq; Amoris crimina
Non falsa, ludos Quartus edit plurimos.
Gratumq;. secessum expetentibus parat
Vitæq; laudes rusticæ paucis refert.
In Quinto amæna vallis est & villula,
Deinde referuntur cantiones, Senis amor,
Rustica opera, & piscatio, & venatio,
In Sexto oues mulgentur: insequitur breuis
Cæna, inde laus frugalitatis, lepidaq;
Dum forte trahitur cæna, collocutio:
Postremum amatoria canuntur. Septimus
Speculationem continet cælestium:
Duramq; Virginem nouam conuertit in
Formam,& querelam,& somnium senis refert.
Octauus æstu in maximo gelidum parat
Antrum, atq; solatia in eo: super hæc quoq;
Natationem, messem; trituramq; habet.
Nono aucupium, vindemia, & pomorum inest
Collectio, & sementis, & plantatio.
Decimus puellæ amantis habet querimoniam,
Tamq; expetitas senis amantis nuptias,
Laudesq; villæ, & hortuli, & simul vetus
Fatum puellæ: proq; palma laureæ

Pu-

Pugnam Poetarum; sodalesq́ optimos
Omnes venusti senis (vbi res postulat)
Lepidos amores, atq; mores deteguut.
Hic vultis ipsius senis nomen? dabo.
Angephilvs appellatur. atq; hæc nunc satis.
Equidem dedi operam, vt & quasi in tabellulis
Hæc omnia suis pingerem coloribus
Ita vt videri pene videantur oculis
Vobis & afferrem voluptatis aliquid
Nunc si voluntati facultas par erit,
Gaudebo: sin minus, sed, vtcunq; hoc erit,
Debebo veniam potius à vobis meæ
Infirmitatis impetrare, vt spero: quàm
Subire iniquum crimen arrogantiæ.
Ac pauciorum iure forsitan suo
Sunt paginarum singuli libelluli:
Ne longitudine vos morentur diutius.
Persæpe serus finis affert vel bonis
Fastidia cibis. gratior sitientibus
Est vnda: quæ modicis repetitur haustibus
Fessis viæ interualla quasi præstat lapis:
Qui crebra ab vrbe millia inscriptus notat.
Nunc vos parumper linquite anxiferam procul
Vrbem suis cum edacibus molestijs:
Rurisq́: amæni discolore in gramine,
Frigoreq́: opaco bene comantis æsculi,
Platani ue, propter lucidæ limphæ caput,
Hæc legite & attento, & benigno animo precor
Sic rex olympi vos bona sospitet ope.
At vos abite hinc procul, iniqui iudices,

Cras-

Crassæ paludis liuidos ad gurgites:
Qui ne primoribus quidem labris sacra
Fontis Aganippæi attigistis flumina.
Odit profanum vulgus obscæno cane,
Et angue peius: vtq; fucos arcuit
Semper suis procul à sacris penetralibus
Pimplea vtrasq; armata furcillis manus.

AD CRITICOS.

O non inerudita Criticorum cohors,
Hoc de libello tum feras ſententiam:
Cùm totum & attentè, & benignè legeris:
Tuiq; tantundem legendum emiſeris.
Hunc refero ſoli (vt omnia) acceptum Deo.
Hunc ille ſartum, & tectum in omne forſitan
Seruabit æuum liuidis à dentibus.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Primus.

AD VARRVM.

VER.

DVLCIA *formosi referam solatia ruris,*
Quæ nobis anni tempora grata ferant.
Quæq; adeò apportet longi pars quæq; diei:
Vt iam Varre volens rura beata petas.
His addam insanos æstus, curasq́ tenaces:
Quas senis in misero pectore seuit Amor.
Nanq; canant alij seu facta ingentia Regum,
Seu longè Australi subdita regna polo.
Seu pulchras & venatoris, & Aucupis artes:
Quîs magnus dextro numine Phœbus adest:

Et quibus ista placent. Cordi sunt rustica nobis.
Rustica nos tenui ludere voce iuuat.
Saepè etiam magni pinxerunt rustica vates:
Et sacris Musis frondea rura placent.
Quisq; suam prudens noscat: facilisq; sequatur
Naturam. facilis nunc sequor ipse meam.
Nymphae quae virides syluas, quae florea prata,
Imaq; perspicuae stagna tenetis aquae:
Vos mihi felices adsitis: vos mihi Nymphae
Este bonae: dum vos, vestraq; rura cano.
Sic vobis virides Syluae, sic florida prata,
Puraq; sint semper stagna perennis aquae.
Tuq; adeò, quem densa iuuant pineta Lycaei,
Et dispar septem fistula arundinibus:
Nunc ò Pan linquens tua frondea Maenala paulum,
Et Nonacrinae culta supina plagae.
Hac mea, quae molli claterna interluit amne,
Dexter adi propero pinguia rura pede. (turba:
Hîc nemora, hîc fontes, Nympharum hîc candida
Quae se vel magnos cogat amare Deos.
Huc ades: & mecum imparibus cane rura cicutis:
Hîc vbi vernantem pinus opacat humum.
Sic tua, cum Boreas gelido spirabit ab axe,
A rapido perstet tuta furore Pitys.
Sinum deinde noui statuam tibi lactis: & vna
Libabo veteris pocula plena meri.

Audio

Audio nimirum ſeptenæ ſibila cannæ,
Sibila Parrhaſijs tam benè nota iugis.
Fallor? an agnoſco ſtellatam nebrida, queq;
Semiferum velant pinea ſerta caput.
Agnoſco. venit ille, venit. mea dulcis auena,
Incipe: & hac primum tempora verna cane.
Iam ceßit triſti rabies Aquilonia cælo:
Ceſſerunt pluuijs nubila fœta Notis.
Aura tepens Zephyri genitabilis aera mulcet
Laxaq́, ſe inſinuans molliter, arua fouet.
In Tauri hoſpitium rediјt: placidosq́, tepores
Pulchrior aurato Cynthius axe refert.
Candida Tithoni coniux nunc gratius auro
Purpurat: & dulci rore maritat humum.
Nunc melius fulget puri per cærula cæli
Inuecta auratis candida Luna rotis.
Non triſtis, ſed læta noui cum lumine ſolis,
Nunc Pleias roſeis Doridos exit aquis.
Omnia nunc melius choreas vaga ſidera ducunt.
Nunc liquidi rident ora ſerena poli.
Quòd cæli faciem ſiquando nubila velant:
Tunc viridem tenuis irrigat imber humum.
Quali ſæpe ſolet Paphias aſpergere myrtos;
Quas alit in luſus pulchra puella ſuos.
Prætereunt virides argentea flumina ripas,
Et placido lapſu murmura rauca cient.

Quæ ripis nuper glacie concreta rigenti
Hæsere: & cursus continuere suos:
Aut pluuia ingenti, & niuibus tumefacta solutis
Fluxere horrisonis turbida vorticibus:
Humida cælestes concepit terra calores:
Nunc parit: & fœtus vbere diues alit.
Hinc late vallesq; cauæ, montanaq; dorsa,
Riparumq; tori, prataq; dulce virent:
Frugiferis surgunt lactentia gramina campis:
His certat densas mittere sylua comas.
Quæq; suis arbos dominis gratam explicat vmbram:
Præparat & læto pabula læta gregi.
Brachiolis vlmos vitis complexa maritas
Frondet: & in tenero palmite gemma tumet.
Flora choros ducit: & cuncta coloribus opplet:
Candida pennatum Flora secuta virum.
Cæruleo, albo, luteolo, rutiloq; colore,
Et viridi tellus vndiq; picta nitet.
Dædala contendit varios superare lapillos:
Diues Erythræi quos habet vnda maris.
Purpurei veris nati in pratis, & in hortis
Collucent, Paphiæ pulcher Adonis amor:
Narcisus liquida spectans se pronus in vnda,
Nec vestem æternam non Amaranthus habens.
Concipit irriguos somnos Cereale papauer:
Discludunt Calathos lilia cana suos.

Ipsa

Ipsa sui seruat Clytie mæstissima Phœbi
Seu decedentis, seu redeuntis iter.
Hic Phœbi gemitus folijs, sua nomina & ille
Inscribit. tenues fert rubra fila crocus.
Nec iam oculi caltha conniuent: ridet Acanthus.
Nec violæ omne genus multi coloris abest.
Pandit odoratos calices sub lumina solis
Suaue Dionæo tracta cruore rosa.
E pede qui manans tum contigit alba roseta.
Infecitq; rosam quæ prius alba fuit.
Cum Mars deprensum iratus insequeretur Adonim:
Huic Dea prosiliens Cypria ferret opem.
Nanque accurrenti per senta rosaria Diuæ
In cautum, pinguit spina maligna pedem.
Huc adsunt cœli à portis ingentibus Horæ:
Florida dum tellus rore recente madet.
Et molli incessu per roscida prata vagantes
Distinctos flores serta in odora legunt:
Horæ, quæ adueniunt grata mortalibus ægris.
Semper enim secum commoda multa ferunt.
Ecce Deus capripes antris egressus opacis
Nunc imas valles, nunc iuga celsa tenet:
Et calamis tam dulce sonat, quàm Cecropis ales
Garrula in vmbrosis concinit arboribus.
Parte alia recubans sylvestri Faunus in vmbra
Lasciuis fundit sibila cum Satyris.

Insa-

Insanos hæc turba procax meditatur amores:
Nec faciles Nymphas ad sua vota vocat.
Alma Pales pecori largè noua pabula præbet:
Et capere oblati cymbia lactis amat.
Frondosas Dryades syluas, viridesq́ Napeæ
Floriferos saltus, roscida & antra colunt.
In liquido se fonte lauit vaga Nais. Oreas
Per iuga veloci fertur aprica pede:
Dum nemorum comitata Deam per deuia montis
Errantes gaudet cursu agitare feras.
Sexagintà simul, donum Iouis, Oceaninæ
In numerum saltant. saltat & ipsa Dea.
Cui pendet pharetra ex humero; surasq́ cothurnus
Vincit, & adductos aurea zona sinus.
Quin & rura colit Venus, & mortalia corda
Subiecto dulci dulciter igne cremat:
Argutis illi in pedibus Sicyonia rident,
Aureus exerta brachia circlus obit.
Marmoreum collum torquis gemmata coronat:
Bacca nitens molli pendet ab auricula.
Membra fluens peplum velat, cestusq́ papillas:
Auricomumq́ caput texta coronà rosis.
Subrident nitidæ violæ, mollesq́ hyacinthi:
Qua fert cunq́ vagos candida Diua pedes.
It sæpe aurato curru: prò fœdere lecti
Quem multa fecit Lemnias arte faber,

Do-

Donauitq́ Deæ. residens hoc ardua curru
Purpureis vehitur læta per arua cygnis.
Sæpeq́ passeribus trahitur nigrantibus alas,
Marmorea moderans aurea lora manu.
Hanc circum nati glomerantur, iaspide & auro
Insignes miris plumea terga modis.
Ceu volitans circum depastas plurima myrtos
Aera per tenerum garrula ludit auis.
Quisque suis dulci medicatis felle sagittis
Cogit amare homines, cogit amare feras.
Ridentem Diuam comitatur amica iuuenta,
Purpureo leues picta colore genas:
Totaq́ nectareo perfusa liquore voluptas:
Et ridens tenero dulciter ore iocus:
Et suadela potens fandi: charitesq́ solutæ
Aureolos crines, purpureosq́ sinus:
Euphrosyne, Aglaieq́ nitens, semperq́ virenti
Collecta immissam flore Thalia comam.
Quas nouies reparata nouæ post cornua Lunæ
Oceani proles edidit Eurynome,
Omniuolo compressa Ioui: dum forte nitentes
In patrio conchas littore sola legit.
Omnes nunc myrti diffundunt Cypridis imbrem:
Nunc saturant croceis picta quasilla rosis.
Nunc lætas plaudunt choreas: nunc mollia dicunt
Ad dulcem dulci carmina voce lyram.

Teius

Teius hanc vates olim, post aurea Sappho
Donum Eratûs habuit: nunc habet vnus Amor.
Increpat & leuibus digitis ab Apolline doctus:
Cum matrem molles suadet inire choros.
Deniq. Nympharum ludit chorus omnis ad vmbram:
Et dulci agrestes vrit amore Deos.
Nec minus & genus humanum, iuuenisq. senexq.
Ad sua iamdudum munia quisque redit.
In mare tranquillum deducit nauta carinas:
Datq. auris pleno vela ferenda sinu.
Aeratoq. secans audax vada cerula rostro,
Eoas merces trans freta vasta petit.
Nam prædatrices quas mittit Thracia, vos ô
Littore ab Hesperio Dij prohibete rates:
Siue procelloso ventorum turbine raptas
Disijcite in scopulos, in vada cæca maris.
A Scythica rabie Meliten defendite bello
Inuictam, & pulchræ ditia regna Cypri.
Siquid nos, nostriq. patres meruere, sed heu heu
Iratos nobis suspicor esse Deos.
Fallor: & omnipotens per cari vulnera nati,
Sit populo felix, propitiusq. suo.
Interea veteres decidit ab arbore ramos,
Quos crémet in duro frigore segnis hiems.
Luxuriemq. almæ vitis impune fluentem
Compescit docta rustica falce manus.

Et

Et sobolem aut grauido abscissam de corpore matris
Telluris vacuum defodit in gremium:
Aut matri hærentem propagine ducit: & omnes
Fraxineis palis, arboribusq; iugat.
Tum stirpes ramis committit: & ordine plantas
Cum radice sua nuda per arua premit.
Vomeris & duro proscindit dente nouales,
Quas rapidis æstas solibus vsta coquat.
Sollicita vacui ciues procul vrbe relicta
Prædiola inuisunt dulcia quisq; sua.
Atque aliquis longo rediens post tempore, forsan
Sic patrios læta voce salutat agros.
Salue ô sola meo tellus gratissima cordi
Vt nunc te attingo, conspicioq; libens:
Tu mihi curarum requies, tu diuite cornu
Copia: tuq; altrix, tuq; benigna parens.
Iucundæq; almus vitæ Deus accipe fessum
Et refice in placido me mea vita sinu.
Salue dulcis ager, dulcis mea Villula salue,
Saluete agrestes numina parua lares:
Et vos hircipedes Fauni, Satyriq; bicornes,
Et tu cum Dryadum Naica turba choro.
Vrbis opes valeant, & limina celsa potentum:
Dum mea vobiscum rura beata colam.
Talia dicentes, dum rustica regna reuisunt,
Audierunt ruris numina sæpe viros.

 O quàm

O quàm quenque iuuat tandem ſua florea rura
Aſpicere, & patrij iugera culta ſoli:
Et cœtus celebrare hilares: dulciq́; ſodalium
Alloquio, & vita liberiore frui.
Talis auis, cauea quæ forte euaſit aperta,
Deſpiciens ditis blanditias domini;
Libera per vacuum leuibus volat aera pennis,
Et ſpiſſum intonſis per nemus omne comis:
Nec triſtes voces triſti ciet amplius ore:
Gutture ſed læto carmina læta canit.
Expellit ſtabulis lætum pecus, inq́; virenti
Veſtitos ſaltus gramine paſtor agit:
Lutea cum primum madidos Aurora capillos
Exprimit, & vitreo nectare rorat humum.
Dumq́; vagæ pecudes auidè noua pabula carpunt:
Flexa illi in tenero gramine membra locant:
Quà virides inter ripas per leuia ſaxa
Purior argento garrula lympha fugit.
Multiforem nunc certatim modulantur auenam:
Et ſoluunt certis ora canora modis.
Hic nitidos placidæ crines, & dona puellæ
Concinit, & læto dulcia furta ſono.
Ille ſibi durum, & crudelem dicit Amorem:
Et queritur dominæ ferrea corda ſuæ.
Pars nemora, et pecudes canit, & quæ garrula primùm
Mænalio cera fiſtula iuncta Deo eſt:

Pars

Pars pede pulsat humum. posito nunc pignore certant,
Siue suum lucta vincere quisque parem:
Seu socios saltu, & celeri præuertere planta:
Seu iaculo signum figere propositum.
Victores læti fiscellam, hædum ve, pedum ve,
Pocula ve é fago, serta ve querna ferunt.
Nunc patulæ in molli recubantes ilicis vmbra,
Riuus vbi herbosam vitreus ambit humum:
Caseolos pera expediunt, & adorea liba:
Sæpe illis crepitans cantharus ora rigat.
Nunc circum fusidum tondent prata iuuenci,
In viridi captant somnia tuta solo.
Sub quercu, aut populo, volucris dum plurima garrit;
Seruat & errantes fida Lycisca greges.
Frondifera rediens sylua pastoria pubes,
Argutis edit sibila tibiolis:
Quas facit è tereti sibi cortice quisque cauato:
Dum simæ attondent arbuta densa capræ.
Sibila depressæ valles, cauaq; antra remittunt:
Reddit & extremos vocis imago sonos.
Interea herbarum immemores mirantur, & alto
Mugitu rumpunt Carmina sæpe boues.
Pascuntur pingues vaccæ per graminis herbas:
Lactis & expresso flumine mulctra replent.
Mollia persultant hædi pede prata proteruo:
Et vituli incursu gramina densa terunt.

Expectant teneri matres in ouilibus agni:
Pascentesq́ procul voce tremente vocant.
Frigidus at reuocat cùm sera crepuscula vesper:
Et caulis pastas ducere suadet oues:
Balantes linquant vernantia pascua matres:
Et referunt natis vbera tenta suis.
Has læti accipiunt, circum alluduntq́ petulci:
Et ducunt lactis pocula plena meri.
Quicquid & ebiberint sitientes noctis in vmbra:
Herbida rorifero mane reponit humus.
Dulcis vbique vagi scintillat feruor Amoris.
Vrit Amor syluas: vrit & omne pecus.
Quidq́ sequi, quod amat, gaudet. formosa maritum
Cerua suum sequitur, bucula blanda suum.
Compare sus cupido læta est. lasciua salaci.
Gaudet equa, & socio sima capella mare.
Cornibus intortis aries decertat amator:
Dum virides campos candida pascit ouis.
Queq́ columba suum comitatur blanda columbum:
Seu turres habitent, seu loca septa domi.
Murmura iam miscent, prædulciaq́ oscula: iamq́
Succumbit cupido blanda columba mari:
Nec minus hic ales Iunonius ilice ab alta
Desiliens crebris vocibus astra ferit.
Explicitæ in gyrum stellata volumina caudæ
Erigit, & pluma versicolore nitet:

Ac

Ac ſemet veluti mirantem protegit ipſum:
Dum conſors thalami colligit ore cibos.
Circuit hanc ille: & pulchræ blanditur amanti
Pulcher amans. geminos denique iungit amor.
Et vagæ aues miti contactæ Amatluſidos igne
Demulcent vario frondea rura ſono.
Tum denſis tectæ ramis connubia miſcent:
Quæ mira ſeruant inuiolata fide.
Sub ſalicis, fagiq́ omnis variantibus vmbris
Cum dulci compar turture fida ſedet.
Per liquidum huc illuc pernicibus aera pennis
Coniuge cum caro garrula hirundo volat:
Sedulaq́ ardenti petit hoſpita tecta volatu:
Conſtruit & luteos ingenioſa lares:
Et molli inſternit pluma. hic parit, & fouet oua,
Cum fido varians compare ſæpè vices.
Ambo ferunt natis, referuntq́ implumibus eſcam,
Aeque alternantes ordine cuique ſuam.
Quid tunc non audent? mox alas plaudere adultos:
Et ſecum paſſim peruolitare docent.
Frondoſis ſedet Heliadum philomela lacertis:
Qua liquido ſtrepitans labitur vnda pede.
Threicij repentes hic facta nefanda tyranni,
Ingemit ereptæ damna pudicitiæ:
Seu percuſſa: animum non paruo laudis ab æſtro,
Certat tam dulces euariare ſonos:

Seu

Seu natos deflet. quos nido immitis arator
Abstulit in parui delitias domini:
Siue cytheriaco præcordia facta calore,
Liquitur: & curas irrequieta canit:
Siqua forte leuet: potusq́ oblita, cibiq́
Assiduis resonat versibus omne nemus (mumq́,
Mane per et violam, et Cytisum, Thymbramq́, Thy-
Pubentemq́ rosam densa vagatur apis.
Et populata refert halantum germina florum
Cruribus: & quernis ingerit alueolis.
E cera, & lento pars glutine tecta refingit:
Et liquido mirum nectare complet opus.
Pars agit excubias: fucosq́ à limine pellit:
Inq; vicem nubes, & speculantur aquas.
Iamq́ nouam plena vrbe patres emittere pubem
In sedes alias, in noua regna parant.
Vrbibus exibunt patrijs examina densa,
Formosum regem queq́ secuta suum:
Demittentq́ uuam ramo, ære inducta sonanti:
Et transcribentur sedibus inde nouis.
Concinit Erydani molles olor albus ad vndas
Dulcius, extremum quàm canat ante diem.
Et liquidis mulcet concentibus Asia prata
Dulcibus in stagnis Lyde Caystre tuis.
Alcyone infelix crebris resonare querelis
Ceyca absumptum littora curua docet:

Al-

Alcyone ante alias Nymphis dilecta marinis,
Et tibi præcipuæ Doride nata Theti.
Tu sternis tumidos brumali tempore fluctus
Per septem, nidos dum fouet illa, Dies.
Illa fouet placido pendentes æquore nidos.
Tum venti ponunt: tum freta tuta silent.
Squammigeræ pecudes, quæ littora, quæq; profundum,
Quæq; lacus nitidos, fluminaq; alta colunt:
Imo iam pelagi fundo, scopulisq; relictis,
Subsultim ludunt terga per ampla sali:
In medijsq; ardent vndis, celebrantq; hymeneos:
Et gaudent Veneris dulcia castra sequi.
Tum fœtus edunt: properantq; ad pascua læta:
Nec tenues hamos, nec caua lina timent.
Vimineis sed enim capitur cata Sepia septis:
Ducit & in prædam fœmina tracta mares.
Allectos eadem pestis cephalosq;, scarosq;,
In fraudem improbe Amor, te stimulante, trahit.
Quiq; suis pedibus pascit se tempore brumæ,
Polypus immodica liquitur in Venere:
Insanoq; oleæ trahitur frondentis amore:
Villosæ vt miro Sargus amore Capræ.
Gratatur reduces pelagi de sede sodales
Euripi ad gelidas Gobius albus aquas.
Albentes merulæ, & turdi, squillæq; nigrescunt:
Inficit & vario terga colore phycis.

Aßi-

Aßiduus thalamis merularum sponsus aderrrat:
Pro multaq; miser coniuge multa timet.
Collecti magno celeres examine Thynni
Oceani tumidis digrediuntur aquis:
Et calamos inter Mæotidis ostia ad ampla
Edita, quæ inueniunt, oua repente vorant.
Cum Thynnis Amiarum audacia, pelamidumq;
Agmina, ductores queq; secuta suos,
In patria immensas tendunt æstiuâ per vndas:
Et Scythiæ ponti pabula grata petunt.
Iam grauidus Mugil penetrat longè ostia Nili.
Lapsaq; in Oceanum flumina Salmo subit.
Et Lampetra subit fluuios, & Alosa; gregatim
It sparus hybernis longius à stabulis.
Pompilus ingenti per tranquillum agmine pontum
Veliuolis gaudet nauibus ire comes.
Serpentis Murena petit connubia: & illi
Mutua in extremis gaudia præbet aquis.
Pro caro grege sponsarum, thalamoq; iugali
Inter se sargi bella cruenta gerunt.
Iamq; nouis crustis læta redeunte iuuenta
Ostipedes canori tergora nuda tegunt.
Sic anguis spolia in spinis, ramosaq; Ceruo
Cornua ponenti læta iuuenta redit.
Neptuno grati Delphines, & Amphitritæ
Per sua veloces cærula regna volant:

Ple-

Plenaq; ludentes exultim vela sequuntur:
Lasciuosq; trahunt per placida alta choros:
Mulcenturq; lyræ cantu: dorsoq; repando
Dilectos puero per freta summa vehunt:
Et paruos miro natos comitantur amore:
Obseruantq; boni pignora grata patres.
Ceu croceo virides sectatur mane per herbas,
Et sero teneras vespere pastor oues:
Sed mea quò fertur puppis? iam carbasa Tempus
Contrahere, & vasti linquere dorsa maris.
Nunc ridet tellus: ridet mare: ridet & aer.
Nunc ver purpureum mollior annus agit.
Nunc omne exultat, quicquid per inane vagatur:
Qucquid alit tellus: æquora quicquid habent.
Ergo veni. te rura vocant pulcherrima Varre.
Vrbem linque, precor, dulcia rura pete:
Quæ raro Caiana fluens hinc riuulus, inde
Claterna exiguis alluit amnis aquis.
Forsitan & quæras: quot simus, quidq; geramus.
Tres sumus hîc Fulcus, Tullius, Angephilus.
Fulcus delitiæ Charitum, ridentis ocellus
Cypridis, & blandi carus Amoris amor:
Vndenos habili moderatur pollice neruos:
Et dulces lepido sæpe dat ore iocos.
Miratur contorta tonantis fulmina Tulli
Tullius, & Musas in sua vota vocat.

Angephilus docti mysteria sacra Petrarchæ
Pandit, & inflexa carmina voce canit.
Nunc forma insignem ruris per deuia Nympham
Sectatur, clario torna tuente Deo:
Et quamuis gerat incanum mentumq́, caputq́:
Binaq́ iam superet secula, perditè amat.
Quæ modo Nympharum pulcherrima ruricolarum
Transgreditur vitæ vix tria lustra suæ.
At tu Varre veni. te nos huc sæpè vocamus.
Ah ne sperne tuum dulce sodalitium.
Conueniunt huc sæpè alij iuuenesq́, senesq́:
Qui circùm nostris rura propinqua tenent.
Quos inter malè gratus amans, venator & acer
Alcon, montiuagi maxima cura Dei.
Frater &. Alconis; meliorem flumina cursum
Qui docet: & turres surgere ad astra iubet.
Et nitidæ villæ, & culti regnator agelli
Astylus, & flauæ phyllidis Anthus amor.
Piscinæq́ philon dominus plenissimæ, & agri
Non latis, at læti, pieridisq́ pater.
Vrentis miere Angephilum. florentis & horti
Possessor Dorylas Demoleonte satus.
Maturusq́ æui Laureas, seniorq́ palæmon:
Quo non hîc alter doctior agricola.
Et benè agrum colere, & vitem cohibere, bouesq́
Pascere, fæcundas semper habere & apes.

Huc

Huc & adest sæpè ante alios hæc rura colentes
Pulcher Hylas: Pholoes quem malè torret amor.
Chloridis hic pulchræ est frater: quæ te ardet. vtriq;
Astylus est genitor, mater Hyiella fuit.
Quod si nulla mouet pulchri te gratia ruris:
Iucundi saltem commoda te moueant.
Nam Iubare exorto. sed quid solatia ruris
Innumera hic memorem, tum capienda tibi?
Carpe diem lætum. tacito pede labitur ætas:
Et fugit admissis pulchrior annus equis.

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Secundus.

SOLATIA RVRIS MATVTINA.

VARRE veni tandem: tandem solatia multa
Formosi ruris, commoda multa pete.
Hæc tacui nuper: cum meta exclusus iniqua,
Effusa adduxi lora repente manu.
Nunc quoniam ingredior spatiosa per æquora curru:
Ardentesq́ fugam iam meditantur equi.
Singula percurram pulchri solatia ruris:
Quæ ferat hîc nobis quælibet hora die.
Cum vigiles Horæ succinctæ vestibus albis
Iam saturos iungent ad iuga Solis equos:
Iamq́ salutabunt volucres Pallantidos ortum:
Et solitum ruris cultor adibit opus:
Nos experrecti plumas linquemus inertes:
In quibus est nulli gloria parta viro.
Tum baculo armati dextram, surasq́ cothurno
Euincti, & flauo tempora pileolo,
Ingrediemur iter placidum per roscida prata,
Et ripas: multo quà via trita pede.

Sylua

Sylua fuit latè nostris densissima in oris.
Plurima in hac fagus, quercus, & vlmus erat.
Delubrum in media Ioanni rite dicatum:
Cui lotus sacro CHRISTVS *in amne fuit.*
Hoc Tyrrhus pastor, de quo Nymphaq; Palæmon
Andiade est genitus: condidit ære suo.
Ornauitq; ara, rebusq; ad sacra paratis:
Ditauitq; sui iugere pinguis agri:
Tempore quo latè his vastatis impia campis
Agmina Romanos diripuere lares.
Barbarus hinc hostis captiuum abduxerat illum:
Qui summi elapsus demum vatis ope,
Hanc ædem posuit pro libertate recepta,
Persoluens certa debita vota fide.
Hæc primum (sic nanq; decet) nos templa petemus:
Pura vbi cericremis ignibus ara micat:
Thureq; Panchæo redolet: candente sacerdos
Velatus lino dum bona verba refert:
Et Cerere intacta, atq; intacto munere Bacchi
Cælicolûm regi mystica sacra facit:
Cæruleo quoties lampas Phœbeia Cælo
Pallida purpurea sydera luce fugat.
Solemnes iam aderunt luces: quibus omnis agrestum
Turba pias oleæ termite compta manus,
Circùm rura choros aget: & comitabitur agnum:
Cuius mors nobis vita, salusq; fuit.

Nec

Nec falsam Cererem Baccho cum patre vocabit:
Sed verum in vota hac supplice voce Deum.
Vt tristes pluuias, Austriq; vrentia pellat
Flamina: queq; aruis horrida grando nocet.
Vtq; opportunos demittat nubibus imbres:
Ne lętas fruges arida terra neget.
Ne lolium infelix, sterilis ne surgat auena:
Queq; alia est nitidis herba inimica satis.
Neu mala rubigo crescentibus obsit aristis:
Horrea sed vincat munda & opima seges.
Neu grauis vredo noceat pubentibus vuis:
Sed capiant alti vix bona musta lacus.
Hac chorus agrestum, segetes dum lustrat & agros,
Concipit ęterno vota, precesq; patri.
Illi summus honos debetur ab omnibus. ille
Omnipotens totum condidit è nihilo.
Ille pius, iustusq; ęterna lege gubernat,
Aeternoq; mouet cuncta supercilio.
Nosq; salutiferis monitis, & sanguine Nati
Ad cęlum reuocat pro pietate sua,
Exclusos inde ob primi commissa Parentis:
Immensisq; bonis tempus in omne beat.
Illum omnis superûm chorus immortalis adorat:
Terra colit: Ditis regia dira tremit.
Nos illum assidue veneremur: vt ad sua nostros
Dirigat errantes regna beata pedes.

Tot

Tot miseræ in tenebris vitæ. plerumq; mouentur
Aßidua, & casta numina sancta prece.
Inde recedemus Sacris de more peractis,
Riteq; conceptis corde pio precibus:
Cum iam Tyndaridum contingens sidera Titan,
Protulerit nitidum Tethyos amne caput.
Et placidum carpemus iter per mollia prata,
Angustasq; recens quas teget vmbra, vias.
Pieridis pulchræ pater huic vicina sacello,
Et mater Pholoes rura lycoris habet.
Hac ducet nos Angephilus: si forte reuisat
Illam, qua non est carior ipse sibi.
Hanc sæpè ob causam dilecta per hæc loca solus
Ambulat: & surdis mollia cantat agris.
Sic lupus occlusum nocturnus oberrat ouile:
Mox siccas fauces, quas tulit, inde refert.
Nuper vt eliceret patria de sede puellam
Argutæ aptabat dulcia verba lyræ.
Illius modo sæuitiem incusabat: & omni
Flectere tentabat pectora dura prece.
Nunc flauos crines in cælum, & clara ferebat
Lumina, & in niueo qui rubor ore nitet.
Felicesq; hortos, feliciaq; arua vocabat;
Felicemq; nimis, quam colit illa, domum;
Seq; ipsum in primis: ex illa si sibi natus
Paruulus in cunis luderet Antimachus.

Ipsam

Ipsam qui matrem niueo, & roseo ore referret;
Virtute egregia seq́, suumq́ patrem.
Talia cantantem viduæ spes vna parentis
Dum croceas tenui carperet vngue rosas:
Sub corylo vidit Pholoe, audiuitq́ libenter:
Quà piscina suos educat ampla greges.
Munditiem mirata senis, faciemq́ superbam,
Argutæq́ nouo carmine capta lyræ,
Obstupuit: dulciq́ oculos, auresq́ veneno
Pasta diu, verùm non saturata tamen,
Accessit propius: salueq́ ò magne poeta:
Non tam dulce canit Daulias, inquit, auis:
Dum tenui varios modulatur gutture cantus:
Auroramq́ vocat coniugis è gremio.
O ter felicem, quàm tollis ad astra, puellam:
Quæq́ tibi caris carior est oculis.
O ego quàm vellem. sed saltem hæc florida serta
Erga te nostri pignus amoris habe.
Hæc tunc illa, trahens imo suspiria corde,
Et roseo teneras sparsa pudore genas.
Ista decent, ò Nympha, tuos tu serta capillos:
Ille refert. alius me nouus ignis habet.
Et subito auertens tristi discessit ab illa:
Quæ dona, & questus spernit amantis Hylæ:
Angephilumq́ ardet miserè. natam ille Philonis
Deperit: intonsum diligit illa Deum.

Sæua

Saeua Venus, Venus iniustissima cur ita rarò
Concordes animos mutuo amore facis?
Cur ita dissidijs inter se infesta duorum
Te Dea crudelis cernere corda iuuat?
A facili hunc reuocas, alioq; reflectis: at illum
Auersae duro cogis amore mori.
Sed quid digredimur tam longe à tramite coepto?
Pergamus nostram rursus inire viam.
Est in conspectu longi latus Apennini:
Quo nihil in terris pulchrius aspicitur.
Hîc liquidi fontes, & prata virentia, & amnes
Irrigui, intonsis, & nemora alta comis.
Haec nemora agrestes apri, damaeq; fugaces,
Et timidi lepores, capreoliq; colunt:
Quae lustris excita suis animalia captat
Praepete venantum strenua turba cane,
Nexilibusue plagis; queis mane, aut vespere primo
Virgultis densos vndiq; saepit agros.
Hîc vineta nitent patri gratissima Baccho,
Arbor & Actaeae semper amata Deae.
Hîc pulchrae passim villae, castellaq; surgunt:
Haec loca nympharum candida turba tenet.
Huc tendemus iter Claternae parua secundùm
Flumina: quà molli gramine ripa viret:
Et, Zephyris impendentes motantibus alnos,
Vmbra natans nitida ludit in amnis aqua.

Aemiliam secat ille viam. cognominis illic
Vrbs Claterna fuit, vbere diues agri:
Præsidium Antoni melioribus Hirtius armis
Illinc deiecit; impositq́ suum:
Tempore, quo dura Brutum obsidione premebat
Assertæ patriæ pestis acerba suæ.
Ipsa vrbs Felsineæ gentis virtute subacta,
Nunc iacet: & fruges vomere versa parit.
Nam quæ non pereunt tandem mortalia facta?
Iam Solymæ steterunt: iam Tyros alta fuit:
Cecropiaq́ iacent arces, Amphioniaq́
Structaq́ Neptuni Pergama sacra manu:
Et quisquam solui corpus mortale queratur?
Inq́ hominis fundat funere tot lacrymas?
Talia nos inter memorantes, incipiemus
Paulatim Aemiliam linquere pone viam.
Iamq́ ostentabit saxosi in vertice collis
Varegnana vetus mœnia celsa procul:
Inde exciduntur lapides, vastæq́ columnæ:
Fulta quibus surgant atria syderibus.
Dant gemitum rupes sub adacti pondere ferri:
Et longè assiduis ictibus antra sonant.
Haud secus Aetna cauis fertur mugire cauernis:
Dum Steropes cudit tela trisulca Ioui.
Fons illic surgit viui sub fornice saxi.
Decurrit prono tramite riuus aquæ:

Nec procul in tenues Claternæ conditur vndas
Frigidior glacie, splendidiorq́ vitro.
Formosis Nymphis nunc arida temperat ora:
Nunc vacuas vrnas rore nitente replet.
Pasitheæ proles Nymphas internitet illas:
Ceu pulchras inter Cynthia Hamadryadas.
Sic vbi syderibus collucet cæruleus æther:
Cuncta super Veneris stella serena micat.
Illa ruris honos tantum meus vritur Alcon,
Alcon montiuagi maxima cura Dei:
Quantùm correpto stipulæ torrentur ab igne:
Quantum Milanion arsit in Iaside.
Ille feros saltus lustrans, lenire dolorem,
Sternereq́ immanes cuspide gaudet apros:
Et rara densas indagine cingere syluas:
Et pauidum leporem, capreolumq́ sequi.
Sæpe illam sequitur: querulis & vocibus instat
Flectere, sed frustra. Nympha proterua fugit.
O mea Leucippe pulcherrima monticolarum,
Quò tuus ah nostri nunc tibi cessit amor?
Ne fuge. iam miserere mei. me denique coges
Sæua mori. ex illo quid tibi laudis erit?
Talia sæpe sequens fugientem iactat ad auras:
Et fagi in tenero cortice sæpe notat.
At nos per molles cliuos reptabimus vnà,
Inter crinitum fronde virente nemus.

Interea egelidas Zephyri captabimus auras,
Et placidum murmur culta rigantis aquæ.
Rore renidentes oculis lustrabimus herbas:
Queis cedat rubri plurima gemma salis.
Et varios auium cantus cupida aure bibemus,
Gaudentum arbuteas peruolitare comas.
Quas inter Philomela sedens frondente recessu,
Siue tuo quercus, populé siue tuo,
Ore canit dulci veterem numerosa querelam:
Cecropiæq; domus ingemit opprobrium.
Ipse ego (quandoquidem me oblectant rustica multum)
Dulcia submissa carmina voce canam:
Quæ pigri subter pineta vmbrosa Galesi
Dictauit vati docta Thalia suo.
Lentus vt in fagi decumbit Tityrus vmbra:
Ipse suos linquit dum Melibæus agros.
Vt solis pulchrum in syluis male sanus Alexim
Nequicquam Corydon ad sua dona vocat.
Vt cantare pares Damætus, atq; Menalcas
Alternis certant vincere carminibus..
Progenies vt clara Deûm descendit ab alto:
Et miseris terris aurea secla refert.
Incisa vt tumulo formosum littera Daphnim
Testatur: Daphnim fistula ad astra vocat.
Vt vinctum pueri Silenum carmina poscunt:
Ille canens mulcet sydera, saxa, feras.

Vt

Vt vincit Corydon alterno carmine Thyrsim:
Quà ripas, Minci, texit arundo tuas.
Vt repetit querulos Damonis Tibia versus:
Dum pascit lætas Alphesibæus oues.
Cantantes ut eunt Lycidas, & Mæris in vrbem:
Mæris flens patrij iugera adempta soli.
Vt Phœbus Galli frustra solatur Amores:
Qui dominam queritur tam procul esse suam.
Aut lætas segetes, & culta noualia, & astra:
Aut iuga muneribus consita Bacche tuis,
Atq; tuis Pallas: seu læta armenta, gregesq́:
Seu plenos referam melle liquente fauos.
Tristis Aristei questus, monitusq́ parentis,
Et vinctum haud equidem Protea transierim:
Teq́ adeo Eurydice, te funere mersit acerbo
Impia vis fati, non malè sanus amans.
Hydrus cum talum tibi dente momordit: amantem
Dum fugeres nudo prata per vda pede:
Te sociæ flerunt Nymphæ, Pangæa, Getæq́,
Cumq́ suis Rhodopes horrida tesqua feris.
Te fleuit coniux bis raptam carmine dulci
Decedente Orpheus, & veniente die.
Ceu densis residens ramorum sola sub vmbris
Flebilis absumptum concinit Atthis Ityn.
Testes Arctoæ glacies, Tanaisq́ niualis,
Aruaq́ Riphea semper operta niue.

Testes

Testes permulsæ tigres, quercusq́ secutæ,
Immotis Strymon testis, & Hebrus aquis.
Te tamen, ò vates diuine, Edonides ausæ
Hæc inter manibus heu lacerare suis.
Cumq́ tuum Aegæas veheret caput Hebrus ad vndas;
Eurydicem per Hebri lingua vocabat aquas;
Horum ego, quæ placitura tuis sint auribus, ipse
Non iniucunda carmina voce canam.
Tu referes profugi Aeneæ varios errores:
Diruta ve Argolica Pergama celsa manu.
Insanos ve æstus, fatum & morientis Elisæ:
Verbaq́ vel Lybicas apta mouere feras.
Seu patri factos ludos Trinacride in acta,
Incensasq́ tuis fraudibus Iri rates.
Præsideq́ orbatam pinum, vatis ve Sybillæ
Responsa, & Stygij regna inamæna Dei.
Quæ ve manus coiere in prælia: quæue petiuit
Dux Anchisiades auxilia in dubijs.
Res priscas Latij, et clypei memorabile textum
Fulcus, nolueris si canere ipse, canet.
Aut naues versas in Nymphas æquoris alti:
Aut Nisi fatum flebile, & Euryali:
Pallantisq́, pijq́ superbo cum patre Lausi:
Quasq́ virûm strages bellica virgo dedit.
Et quibus insidijs cecidit: seu fœdera rupta;
Seu pugnam Ausonij, Dardanijq́ ducis:

Quæ

Quæ docta Andæus quondam testudine vates
Ad caræ cecinit littora Parthenopes.
Illis carminibus stupuere Acheloides: illis
Tyrrheni obstupuit cærula turba maris.
Tum cytharæ Angephilus concordia pectine fila
Tanget; & inflexa talia voce canet.
Dum coniux Veneris nudus nigrantia membra,
Instat Lemniacis æra liquare focis:
Spiculaq; ex illis tenero procudit Amori:
Atq; ea melle Venus, felle venenat Amor:
Tunc validam quassans hastam Mars horridus inquit:
Quàm leuiora meis sunt tua tela puer.
Tunc Amor: & grauis hæc: expertus crede. sagittam
Accepit Mauors. risit amica Venus.
Ille gemens, grauis est, ait: hanc precor aufer. at istam
Inquit Amor ridens, tu tibi semper habe.
Talia dum lenti per læta vagabimur arua:
Nostrum aliquis memori pectore prompta canet.
Sæpe pedes ad aquæ riuum requiesse iuuabit:
Fessaq; gramineo flectere membra toro.
Quà ripas viridi substernit populus umbra:
Quà ve salix glaucos densat opaca comas.
Frigidulaq; manus lympha tingemus, & ora
Suauis & ipsius spiritus amnis erit.
O quàm iucundum, quàm dulce sedere sub vmbra
Defesso: nitida fons vbi diues aqua.

Su-

Sumere tum gelidam versis in pocula palmis:
Arentiq; grauem pellere ab ore sitim.
Inde sub vmbrosas vlmos tendemus ad hortum,
Parentem imperio Demoleontis heri:
Corycij senis hic hortus non cedat agello:
Hunc sibi Nausicaæ malit habere pater.
Hunc altæ claudunt viuo de cespite sepes:
Et fons perpetuis irrigat ortus aquis.
Inter odoratas cedros, buxosq; comantes,
Et virides lauros nobile surgit opus.
Illic Calliroe pario de marmore ducta
Subiectum in labrum prona refundit aquas.
Hanc Nympham flendo (vt voluit Rhamnusidis ira)
Hunc olim in fontem deliquisse ferunt.
Et dixisse suo fontem de nomine, pulchrum
Nomen adhuc pariter fons, & imago tenent.
Liquier in latices totum, & spirare putares:
Docta manus rarum tam bene finxit opus.
Formosi fontis, rapidis quoq; in æstibus, altè
Marmoreo exuperans decidit vnda lacu.
Diditur in tenues riuos vberrimus ille:
Hiq; susurrantes dissita culta rigant.
Nec procul hinc rursus coeunt: radijsq; rotatis
Frugiferas versant nocte, dieq; molas.
Suaue erit hac gelida interdum lauere ora, manusq;
Audire & murmur desilientis aquæ.

Tum

Tum molli passu circumq; errare licebit,
Perq; in quadrifidas compita secta vias.
Non deerunt densæ hîc illic spatiantibus vmbræ:
Non querulas frondes leniter aura mouens.
Non auium chorus hospitia inter frondea, & vmbras
Emodulans vario carmina læta sono:
Nos quæ dulce susurrat apis: roremq; marinum
Quærit, & huc illuc per thyma summa volat.
Pampinea iliceis vmbracula fulta tigillis
Tenduntur longis æmula porticibus.
Aspicias, multa pendentes vite racemos
Cognatis numero cedere vix folijs.
Quid varias referam plantas iam poma ferentes:
Quas docta in versum distulit arte manus?
Huc densa atq; illuc videas arbusta lacertos
Pandere felices fœtibus innumeris.
Pars quorum albescat: viuum pars induat aurum:
Pars vireat: partem purpura grata notet.
Cernere erit quadris dimensum æqualibus hortum,
Quadraq; in areolas limite secta pari.
Hîc spectes olera, atq; herbas, agreste macellum,
In puluinorum dulce virere toris:
Præcipuè Mentham, gratum quæ spirat odorem:
De qua fabellam hanc rustica turba refert.
Olim Mintha fuit stygio dilecta tyranno,
Pulchra quidem, verùm Nympha superba nimis.

Nam simul in furuam Aetnæis à saltibus aulam
Persephone est nigris candida vecta rotis:
Illa iræ impatiens, nimioq; accensa furore
In pulchram cæpit fundere probra deam.
Iactabat passim, raptam sibi cedere forma:
Nec tanti dignam prorsus amore dei.
Iamq; minabatur Stygijs propellere regnis.
Sed stolidæ linguæ præmia digna tulit.
Nanq; irata ceres, non hæc (nisi fallimur) inquit,
Non impunè diu stulta puella feres:
Inq; horto pedibus Nympham tellure iacentem
Pressit: & in formam iussit abire nouam.
Haud mora: versa sui est in olentem nominis herbam
Minthe: quam mentham musa Latina vocat.
Parte alia aspicias, cælum variatur vt astris,
Cultum veste solum multi colore tegi.
Hîc ludit Zephyri placidis afflatibus aura:
Lætaq; correpto mulcet odore loca.
Hîc & purpureos, & Cyaneos hyacinthos,
Et fuscas violas colliget Angephilus,
Narcissi & lacrimas, Telamoniadæq; cruorem,
Fucatasq; comas mollis Adoni tuas.
Dumq; leget: repetens suspiria feruida corde,
Luminaq; abstergens roscida lachrymulis:
Quàm benè conueniunt hi nostro, dicet, amori.
Hi nostri ingentis signa doloris erunt.

Hos

Hos in pulchra lego tibi serta, ô Pieri pulchra:
Pulchra quidem, verùm dura puella nimis.
O si non ingrata tibi sint munera nostra.
O si des nobis, quod tuus hortus habet.
Hunc lepido interea Fulcus solabitur ore,
Pone sequens. flores nec minus ipse leget.
Purpureum cum luteola meliloto amaranthum
Viminibus textos ingeret in calathos.
Candida Leucoia, atq; apium metet impiger idem,
Quodq; tener croceum gramen acanthus habet
Ipse rosam albentem, suaui quæ fragrat odore,
Stringam, cumq; rubris alba ligustra crocis.
Flammeolæ tu calthæ addes vacinia nigra,
Et thyma puniceis cana papaueribus.
At neq; te Smilax, neq; me remorabitur Acis:
Quanuis hic rutilus, candidus ille comas.
Te certe capiet nitor auricomi chrysanthi:
Lucida formosæ purpura me violæ.
Aureolas violas, argentea lilia, & ostro
Quisque sibi imbutas demetet vngue rosas.
Hos vernantis humi natos, tepidiq; Fauoni
Carpemus facili serta in odora manu,
Fasciculos inq; halantes munuscula amanti,
Chloridi grata tuæ, Leucidi grata meæ
Queis niueos ornare sinus, & eburnea poßint
Tempora, & aureolas impediisse comas.

Cum Fulco Angephilus residens sub tegmine lauri,
Intexet dominæ mollia serta suæ:
Si queat iratæ post tot lachrymasq́, precesq́,
Duritiem blandis vincere muneribus.
Pallentes, nigriq́ innexi crebra colores
Haud dubia insani signa doloris erunt.
Dumq́ aptum tenui Philyra connectet in orbem
Flores, quos manibus legerit ante suis:
Talia tunc dicet (nam dudum serta laborans
Solus soluebat talibus ora sonis)
Ibitis ò nostri monimentum insigne doloris,
Ibitis ad Venerem florea serta meam.
O vtinam Protei, vel Circes artibus ipse
Tunc fieri subito vos mea dona queam.
Tunc os purpureum caræ tetigisse puellæ,
Tunc flauum cupiam vos redimire caput.
Hæc ille interea flentis deterget ab ore
Admoto Fulcus pollice lachrymulas:
Pectoreq́ ex imo suspiria crebra petentem
Solari perget dulcibus alloquijs:
Fulcus vester amor Charites: nos munere vestro,
Quidquid & hic loquitur, sal solet esse merum.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII
BONON. RVSTICORVM
Liber Tertius.

SOLATIA ANTEMERIDIANA.

INDE' *vbi Sol rorem tenera desuxerit herba;*
Calfacietq; suæ cuncta vapore facis:
Nos quà decurrens vicinis riuulus hortis
Prata susurranti mollia lambit aqua:
Longaq; prætexunt frondosæ vmbracula quercus;
Et resonat densis carminibus volucrum:
Haud segni rheda vecti, nec pauca iocantes
Visemus nostræ limina grata domus.
Hîc requiescentes sub opaco vertice fagi
Nos oblectabunt sæpe cohortis aues.
Quarum ego nunc studia, & formas, & martia bella
Conabor paucis dicere carminibus.
Tu nostrum in tenui hunc etiam ne sperne laborem.
Sæpe sua & leuibus gratia rebus inest.
Indicus hîc ales, cui sunt glabra colla, caputq;
Et rutila ad pectus pendet ab ore caro:
Erigit in gyrum caudam: & strepitantibus alis
Cum multa gradiens coniuge verrit humum.

Sæpeq; vt ardentes natura est pronus in iras:
Irarum subito corripitur facibus,
Totus in horrescens plumis: si fortè propinquet
Ire suam pergens vir, mulierq; viam.
Hic crebris voces singultibus edit acutas
Gallina: in stratis dum parit oua suis
Mox nido exurgens plumosos concutit artus.
Desilit & magnos ore ciens sonitus:
Et paleam libat. crebro venit excita cantu:
Editaq; oua recens sedula tollit anus.
Et partem aut seruat nobis, aut portat in vrbem:
Vnde refert dextram protinus ære grauem.
Partem aliam numero glocientibus impare subdit:
Fratris ab amplexu cùm noua Luna redit.
Gallina assiduè suppostis incubat ouis:
Et partum incumbit sic animare suum.
Oua subinde manu non segnis villica versat:
(Proueniunt melius fota calore pari)
Neu tonitrus obsint: nidi sub stramine ferrum
Ponit, nec multos fit mora longa dies:
Pertuso certat prodire putamine pullus,
Quisque suo: matri subijciturq; suæ:
Pipitq;, insequiturq; illam, circumuaga mater
Ore vocat natos: scalpit & vngue solum:
Rimaturq; illis simul accurrentibus escam,
Sæpe sua pascit pignora cara fame.

Tan-

Tantus amor matri natorum est. inde sub alas
Aduocat: & magna sedulitate fouet.
Præsertim ducat si forte per aera gyros
Miluus auens teneras carpere cortis aues.
Quem contra, si quando rapax ille ingruat; arma
Expedit: & pectus obijcit impauidum.
Tutaturq; suam gallus gentem. ille repulsus,
Et clamore virûm territus alta petit:
Ventris & ingluuiem nigris procul anguibus explet,
Turpibus aut ranis stagna ad inertis aquæ.
Ecce autem gemini surgunt ad prælia galli:
Imperium duro quô sibi Marte parent.
Se proni aspectant: crebrisq; assultibus vrgent:
Aduersis rostris obuia rostra ferunt:
Infestum calcem calcis mucrone repulsant;
Obiectum valido pectore pectus agunt.
Obtundunt alas alis: cristasq; vicissim
Et paleas vellunt. ora cucore madent.
Insultans rostri affigit iam cuspide victum
Victor: & impresso iam pede calcat humi.
Inde alacris læto cantu, & plaudentibus alis
Testatur palmam, regnaq; parta sibi.
At victus silet: & demissis effugit alis:
It merito regi cætera turba comes:
Regi, cui crista alta rubet: palea ampla torosum
In pectus pendet: lumina raua micant:

Exi-

Exiguum ſpatij ſtat adunca cuſpide roſtrum:
Auratum veſtit colla, humeroſq; decus.
Tollitur ad Cælum duplici flexa ordine cauda:
Mucroq; falcatus armat vtrunq; pedem:
Cui magnæ, niueæq; aures, robuſtaq; crura,
Ingenteſq; alæ, fæminaq; hirta pilis.
Hæc oblectabunt parui nos horrida Circi
Prælia non noſtro carmine digna cani,
Sed noſtri Angephili. hæc nobis ſpectantibus ille
Talia grandiloquo ſæpius ore ſonat.
O quàm pugnaces olim Chalciſq;, Rhodoſq;
Hos Martis pullos, atq; Tanagra tulit?
Quæq; tuis dederunt oculis ſpectacula Athenæ
Poſt victos Perſas, Pergame quæq; tuis.
Haud minus igneſcunt animis: vocemq; cientes
Ortygiæ volucres mutua bella gerunt.
Teſtis ab vnius ſirenum nomine dicta vrbs:
Quæq; ab Alexandro nobile nomen habet.
Hæ committebant illas: acremq; videbant
Pugnantes pugnam viq;, animoq; pares:
Et duro aut hanc, aut illam ſub Marte cadentem
Deniq; victricem gloria magna ſequi.
Talia fluctícolæ miſcent certamina Sargi
Pro caris verno tempore coniugibus.
Dentibus, & ſpinis, quibus horrida terga teguntur:
Confligunt. miſeros improbus vrget Amor.

Heu

Heu quid non cogis miseros Amor improbe amantes?
Illi vel mortem te subigente petunt.
Inter se multo concidunt vulnere membra.
Canescunt crebris cærula verberibus.
Circumfusa stupet lati gens æquoris: æquor,
Vdaq́ vicini littoris antra sonant.
Fœmineo cætu victor demum imperat vnus:
Vniusq́ subit turba marita torum.
Sic quoq́ pro niuea gemini ad stabula alta iuuenca
Inter se tauri prœlia torua cient.
Concurrunt, validos artus contorquet vterque
In gyrum: & vires colligit inde suas.
Aduersa infigunt obnixi cornua amantes.
Spectatrix addit pulchra iuuenca animos:
Et medio expectat victorem candida prato.
Pugnantes stimulis acribus vrget Amor.
Cum gemitu miscent inter se vulnera: & armos,
Et colla effuso sanguine, & ora lauant.
Pastores pauidi spectant fera bella: remugit
Omne nemus: reboant concaua saxa procul.
Ceu stridunt syluæ, pugnantibus æthere ventis:
Contortisq́ fremunt æquora vorticibus.
Ac demum victorem armenta sequuntur: & ipsa
Subsidit domino bucula læta suo.
Desertas at victus abit procul exul in oras,
Multum, quæ amisit patria regna gemens,

Dulciaq; inprimis prærepta gaudia amantis:
Quæ misero cara carior est anima.
Ah quid non hominum, quid non & dura ferarum,
O qui cuncta domas, pectora cogis Amor?
Me quoque quàm duro nunc cædis sæue flagello:
Inq; meum torques spicula crebra iecur.
Vulnera, adure, neca me sæue puer: vel amare
Est mihi, vel dulci dulce in amore mori.
Talia tunc melius molli canet ille sub vmbra
Sollicitans tremulo pollice fila lyræ.
Quæ partim libanda tibi nunc mitto. hic enim (vt scis)
Est vir & exemplis fartus, & historia.
Interea implebit magnis clangoribus aures:
Muscosamq; petet iam satur anser aquam:
Alti seruator Capitoli peruigil anser.
Ille olim Gallos depulit arce Iouis.
Nunc bifero nutrit plumosam corpore messem:
Quæ candore potest æquiparare niues.
Nec non rauca sonans torpentis terga lacunæ
Pectore findet anas, remigioq; pedum:
Inuitansq; paremq; suum, natosq; natatum,
Se modò submerget, se modò promet aqua.
Nuda velut pubes ludit per flumina Rheni:
Lentaq; nunc placidis brachia iactat aquis:
Nunc se altè mergit: nunc extat corpore summo:
Et facilis lymphæ pectore summa secat.

Par-

Parte alia strepitans volucris Iunonia sese
Ilicis vmbrosis mittet ab hospitijs.
Protinus expandet varias tua lumina gemmas,
Arge tibi quondam rapta, superbus amans,
Sponsæ ante ora suæ: caudamq; ad terga rotabit:
Lucidaq; in pennis sidera picta geret.
Ipse suas mirabitur: & laudatus amabit
Ostentare, vt pratum, ambitiosus opes:
Pratum, quod nuper, tepido comitata marito,
Pinxerit artifici candida Flora manu.
Auratus nitor aduerso sub sole micabit,
Puniceumq; simul, cæruleumq; decus:
Solis ab aduersa luce vt per nubila densa
Veste decens Iris versicolore nitet.
Tandem iunget Amor geminos. accendit & ipsa
Suaue vrente suas igne Cytheris aues:
Quæq; colunt turres, volitantq; per aera: quæq;
Vix tolluntur humo, septaq; cortis amant.
Dulcia decerpunt consertis oscula rostris.
Alterni plumis oua subinde fouent.
Exin ter pullis dextro pater inspuit ore:
Ne quis eos læuo fascinet ore malus.
Alternoq; fouent fœtus, pascuntq; labore.
Tantus amor sobolis tanta in amore fides.
Et Galatea dabit nobis lasciua puella
Mox solatiolum dulcius ambrosia:

Lacteolo Galatea sinu, aureolisq; capillis,
Et niueas roseo sparsa colore genas.
Amplexus caros, consertisq; oscula labris
Forte putas? seu quod dulcius esse solet?
Non ita: sed residens iuxta mulctrale salignum:
Quod grauidi implerint vbera pressa gregis:
Ante abluta manus, teretesq; exerta lacertos,
Et femora albenti cincta periscelide,
Miscebit tepido liquefacta coagula lacti:
Molliter vt coeat candidus inde liquor.
Illius partem fiscella è vimine vinci,
Et filicis circùm fronde virente teget:
Et roseis nectet sertis: suspensa tigillo
Rorabunt liquido iuncea texta serò:
In pressas partem coget glebas: & acernis
Orbibus includet sedula, quasque suis.
Tum sale continget: duraturosq; per annum
Virgatis condet caseolos calathis:
Pingue serum nitido posthac inuerget aheno:
Conflabit bucca fusca Focilla focum:
Et siccas virgas coslis pendentis aheni
Suggeret. hinc crepitus virgea flamma dabit.
Iamq; susurrabit raucum: iamq; efferet intus
Gliscenti exultans lacteus igne latex:
Concreti humoris florem mox auferet inde
Villica pertuso pluribus ære locis:

Im-

Implebitq́ illo fumanti fictile purum:
Et teget ambrosiam flore decente niuem.
Interea muscas arcebit fronde saligna
Horticolæ poli parua Focilla genus:
At compressuram ieiuni murmura ventris
Nos demum ad mensam blanda citabit anus.
Hîc non pura Ceres, non oua recentia deerunt:
Non ficus duplices, moraq́ sanguinea.
Vina parabuntur lucenti mollia vitro:
Hoc trichila accipiet plena recentis aquæ:
Hanc de fonte puer vicino sumpserit: hic fons
Ex antro gelida profluit vber aqua.
Selecti venient plena de turre columbi:
Et pinguem pullum mittet opima cohors.
Sæpe oleas sale conditas sumemus, & billam
Interdum: pernæ nil moror ipse pedem.
Lecta recens, & clausa putamine amygdala fracto.
Afferet interea flaua Nigella comam:
In picto Astylides calathisco pruna Damasci,
Quasq́ vetus paruas misit Auella nuces.
Fabellas referet bellas anus ore dicaci:
Quæ condire solet cuncta suis salibus.
Præscribet summus potandi iura magister
Angephilus, promet Fulcus ab arte iocos:
Dum feret in cælum Angephili faciemq́ superbam,
Excelsumq́ animum, verbaq́ magnifica,

Et

Et geminam laurum: quæ circum tempora serpit
Illius: & canos fronde virente tegit.
Scultennæ ad ripas olim RANGONIVS *heros*
Post epulas illi serta priora dedit
Conuentu in celebri multo plausuq́, iocisq́:
Altera purpureis floribus apta dedit
CAMPEGIVS *sacri decus immortale Senatus:*
Lata suburbanos quà Sapina ambit agros:
Nobiscum bonus accumbet quandoq́ Palæmon:
Cui paret multo vomere versa seges.
Hic nos sæpe docet, quæ cuiq́ sit insita virtus,
Et natura solo: quid loca quæq́ ferant:
Qui faueat campus frumentis: quæ iuga Baccho
Commoda: quos colles Palladis arbor amet:
Qui saltus faciant lætas pecudesq́, bouesq́,
Quæ prata, aut riguus qui iuuet hortus apes:
Quà tellus pinguescat ope: & quà sydere, quaq́
Arte sit, & studio quisque colendus ager:
Vnde sibi, & quando trabeas, iuga, tribula, rastros,
Matris Eleusinæ plaustra, & aratra dolet.
Quod tempus frumenta, fabas, milium, hordea, farra,
Cannabis, & lini credere semen humo:
Quæq́ bonus seruet per totum rusticus annum
Sydera: vt in salsis nauita seruat aquis:
Signaq́ prouentus: variæq́ potentia Lunæ
Quæ sit: quæq́ parens, quæq́ nouerca dies:

Quid

Quid variæ volucres, quid menstrua Luna minetur:
Quid moneat Titan ante videre genus,
Nos pluuiæ, sudiq; docet prænuncia signa,
Et Boreæ, & madidi flabra futura Noti.
Nuper de pecorum cultu inter pocula nobis
Iucunda attentis dixit, & vtilia.
Ostendebat enim, quæ sit bouis optima forma:
Seu matrem esse velis, siue ad aratra legas:
Quæq; ætas habilis fœturæ, & fortis aratro:
Paulatim vitulos qua ratione domes.
Quîs pecudes stabulis hiberno tempore claudas:
Quæq; libens adeat pascua quodq; pecus:
Cùm lætis æstas campis redit: & quibus horis
Molli vmbra, & gelidi gaudeat amnis aqua.
Tum cui lanicium cordi est: quæ vellere cura
Tondeat: & merset quo fluuio ante greges.
Cuius ope arcendi stabulis furesq;, lupiq;,
Quæq; venenato dente nocere solent
Idem morborum causas, & signa docebat;
Doctaq; qua scabiem curet ab arte manus.
Insuper addebat, quo cultu quolibet anni
Tempore maturas præbeat hortus opes.
Quæ sedes apibus texantur: vbiq; locentur:
Quæ prodesse illis, quæq; nocere queant.
Qui flores grati, quæ dulcia flumina: quiq;
Sint mores illis, prælia, castra, duces.

Si-

Sidere quo dulcem, curæ cui talia, messem:
Quoq; modo grauidis eximat alueolis:
Examenq; vagum ramis frondentibus vlmi
Pendere, & sedes cogat inire nouas.
Queis morbum agnoscat signis: qua curet & arte:
Amissum reparet qua ratione genus.
Dicere de arboribus nec omisit. scilicet vt pars
Sponte sua veniunt, pars hominum studio.
Quo cultu fera mollescat. quo tempore, & arte
Fœcundum ramum ramus adoptet iners.
Tum quibus immittas scrobibus stirpemq; nouellam,
Ramumq; abscissum, quadrifidamq; sudem.
Vnde olea melius respondeat: & quos cultus
Postulet: & quando, quoq; legenda modo.
Quo pacto melius vites, quoq; ordine ponas,
Arboribus iungens: quoq; labore domes.
Vnde fluunt, inquit, nobis hæc aurea Bacchi
Dona quibus nihil est dulcius, & melius.
Hic tristes abigit curas, hic vera fateri
Cogit: & hic recreat languida membra latex.
Vobis ergo, tibiq; adeo o suauissime rerum
Angephile, hoc totum dulce propino merum:
Cur ita suspiras? causa est Amor improbus? ah te
Iam pudeat: nimium turpe senilis amor.
Si sapis, amentes animi compesce furores,
Exime iam turpi libera colla iugo.

Quodq;

Quodq́ decet, meditare & honesti respice formam:
Utque geris multa tempora cara niue.
Et vos à vobis iuuenes hanc pellite pestem:
Est hominum generi noxia nulla magis.
Sic infestus Amor humanis cordibus hæret:
Sanguinem vt exugens hæret irudo cuti.
Ille puellarum mentem expugnare pudicam
Instat: & est fœdi suasor adulterij.
Hinc lacrymæ, hinc gemitus, hinc curæ corda coquentes,
Hinc rixæ, hinc cædes, deniq; & omne malum.
Quo cæcus non ducit Amor? Leander in vndis
Mergitur insanis: dum freta nocte natat.
Et castra illius sequitur dum Lesbia quædam:
Nescio quas saltu stulta petiuit aquas.
Terea quid docuit? quid Colchida? nempe suorum
Sanguine natorum commaculare manus.
Quo te Iphi hæc tandem? teq́ Aesace pestis adegit.
Scit Tethys casus tunc miserata tuos:
Nescio quem insanisse ferunt hunc propter Amorem:
Vos sæpe audiui, cum caneretis eum.
Per gentes nudum Hesperias sine more furentem, &
Illius insana fortiter acta manu.
Auribus accipite intentis: quo nuper adegit
Pastorem pecoris improbus ille puer.
Rustica iam pubes feri sub vesperis ortum
Compulerat saturos ad sua septa greges:

Dumosa cum rupe sedens Trinacrius Aegon:
Horrida quam subter verberat unda maris:
Insani grauibus curis oppressus amoris,
Post longos questus sic moriturus ait.
Iam vos ite meæ sine me, nunc ite capellæ:
Vos ubi iamdudum pignora cara manent.
In lætos saltus croceum vos mane reducet
Ad virides cytisos, ad liquidi amnis aquas.
Solus ego in sylvis gelida sub nocte per umbras
Sæuitiem longam conqueror AEgla tuam.
Dum vel sic largis perfundens fletibus ora,
In riguos latices deniq; totus eam:
Vel sic suspirans miser euanescat in auras
Spiritus: & longam ponat amaritiem.
Quin moriar nunc. o crudelis, & impia amantis
Extremum hoc munus sic morientis habe.
Hæc ait: & præceps scopulo se mittit in undas:
Inferniq; subit flammea regna dei.
Ten pater Angephile contristant hæc mea dicta?
Suspicor: unum me torua tueris enim:
Corrugasq; supercilium. sed si me amas, hanc
Accipe purpuream, quam tibi dono, rosam.
Hanc sanguis peperit de vulnere fusus Adonis:
Cum miserum sæuo dente peremit aper.
Nam totidem lachrymæ Veneris peperere Anemonem:
Delicias fleret dum Dea mœsta suas.

Talia

Talia Tyrrides læta inter pocula nobis
Sæpe refert. referet talia sæpe tibi.

M. TVLLII BEROII
BONON. RVSTICORVM
Liber Quartus.

SOLATIA MERIDIANA.

POST, vbi pulsa fames erit; in bicolore tabella
Nos opponemus candida castra nigris.
Aduersi hic reges ad belli signa vocabunt,
Inq́ aciem educent agmina vterque sua.
Non tuba terrifico Martem clangore ciebit:
Non raucos sonitus Tympana pulsa dabunt.
Sed tacitæ castris egressæ vtrinque cohortes,
Collatis signis prælia dura serent.
Incedent peditum cunei testudine facta.
Curuato saltu progredientur equi.
Contendent neruo Arciferi stridente sagittas.
Reginæ audaces castra inimica petent.
Gestabunt vasti turres in bella Elephanti.
Pugnabit legio pro duce queq́ suo.

Mars communis erit. Fulcus verò, Angephilusq́,
Hic volet esse mea partis, at ille tuæ.
Anceps pugna diu. capient peditesq́, equitesq́,
Hinc illinc hostes viq́, doloq́ suos.
Inq́ vicem late miscebunt funera ferro:
Castraq́ rarescent hinc magis, atque magis.
Pignore si posito certabimus: ipse tumentes
Irarum fluctus tum cohibere velis:
Cùm regem Æthiopum spoliatum milite multo
Infestis telis alba corona premet:
Concludetq́ ita, vt effugij spes nulla supersit:
Et victas tandem præbeat ille manus:
Vt cùm Gallorum regem inter stragis aceruos
Ticini ad ripas cepit Ibera cohors.
O quos arguto meus auxiliaris ab ore,
Quàm crebros risus tunc dabit Angephilus?
Angephilus quemuis contra pugnare paratus:
Qui plerunque tamen victus abire solet.
Interea tenues rerum Sol contrahet umbras
Iamq́ orbem medium flammeus axe teret
Haud ita post multo platani egrediemur in vmbram:
Rustica quò pubes sæpe coire solet:
Cum de more vacant hominumq́, boumq́ labores.
Festaq́ per pagos lux celebranda redit.
Tu leuibus digitis attrectabisq́, premesq́
Tunc testudineæ fila sonora chelys.

Con-

Concordes ſeptena dabunt diſcrimina voces.
Illarum ad numeros candida Niſa canet.
Tam liquidum, tam dulce canit: quàm ſuauis Aedon.
Quam vocalis olor funeris ante diem.
Huic non vna tamen cedat FVLGENTIA *vates:*
Quæ nitido ante omnes ſuauiter ore canit:
Sicut, vbi cedunt redeunti ſydera Phœbo,
Suauiter ante alias Thracia cantat auis.
Scilicet Auroræ, & Cephali cantabit amores,
Aut ignes potius candida Luna tuos.
Vt puer Endymion nigris ſpectandus ocellis,
Flauentiq; coma, purpureisq; genis,
Dum verſat niueas per Latmia ſaxa capellas:
Semper vbi viridi ceſpite vernat humus:
Semper & argutis rorantia fontibus antra
Inuitant paſtos ad ſua dona greges.
Ipſe ſuis Phœben nigris ita cepit ocellis,
Flauentiq; coma, purpureisq; genis:
Vt, ſeu nox fuſcam telluri induceret vmbram,
Seu nitidam lucem redderet orta dies:
Arderet miſere tenerum Latoïs amantem:
Sæpius & curſus linqueret aerios;
Stellanti peplo velata argentea membra,
Et niueo auricomum vellere operta caput.
Ah quoties ſuſpirantem per deuia Latmi
Viderunt Dryades, Naiadesq; Deam.

Ah quoties illi occurrens, ecquando furori,
Phœbus ait. pones huic malesana modum?
Ah te iam pudeat, soror. illa autem: omnia frater
Vincit Amor, niueas sparsa rubore genas.
Sæpe etiam inuidia succensi pectora Panes
Et Satyri tales ore dedere sonos.
Fortunate puer: te magni munere patris
Sopitum furtim candida Diua petit.
Fortunate puer: tibi dulcia basia figit:
Te gaudet molli nuda fouere sinu:
Attrectatq́ manu, longam turbare quietem
Amplexus inter non tamen ausa tuam.
Ergo Nisa tuis aptabit talia neruis,
Emodulans dulci patria verba sono.
Nuper & hæc nobis platani cantauit in vmbra:
Dum medium cæli Phœbus haberet iter.
AVDITIS iuuenes placidi, facilesq́ puellæ:
Fundit vt insanos rauca cicada sonos.
Obstrepit illa suo de more canentibus. illa
Olim quæ fuerit: nunc memorare iuuat.
Cum primum chorus Aonidum delapsus ab alto
Concinuit dulces ore, lyraq́ modos:
Ad noua venerunt auritæ carmina syluæ:
Cum rapido venit torua leone tigris:
Attoniti steterunt amnes: siluere volucres:
Humanum posuit efferà corda genus.

At

At quidam aßueti densas super arbore frondes
Stringere, lanigero grata alimenta gregi:
Cœperunt stolidi tam dulces spernere cantus:
Et rauco absurdos fundere ab ore sonos:
Obstrepere & Musis diuina canentibus: atq;
Arbusta aßiduo rumpere cuncta sono,
Immemores dulcisq; cibi, potusq;. sed ista
Non impune diu turba proterua tulit.
Nanq; illos Diuæ in graciles vertere cicadas:
Quas nunc auditis stridere in arboribus:
Et pasci non esca vlla, sed rore videtis:
Inq; sua demum garrulitate mori.
Tunc etiam Myrson, Idas, Cleodemus, & Acis
Alterni certis hæc cecinere modis.
Myr: Ver mihi dulce placet. Zephyri iucundior aura
Tunc viget: & grato cuncta tepore fouet.
Tunc ridet liquidi facies pulcherrima cœli:
Lucida tum blando murmure currit aqua.
Pinguntur vario tum mollia prata colore:
Velaturq; nouis frondibus omne nemus.
Tunc Phaethontiadas inter Philomela comantes
Euariat dulces nocte dieq; sonos.
Idas. Aestas grata mihi est. etenim tunc rustica pubes
Frugiferæ Cereri debita sacra facit:
Tunc matura metit frumenta, teritq; laborum
Tum contenta, & ouans horrea plena videt.

Tunc

Tunc umbræ dulces: tunc dulcia Etesia flabra:
Dulciaq; annoso pocula plena mero.
O quàm dulce sitim gelida tum pellere lympha:
Et nitida corpus mergere in amnis aqua.
Cleo: Me iuuat Autumnus. tunc pingues incola ruris
Turdos, perdices, ficedulasq; capit:
Vitibus à plenis dulces tum colligit uuas;
Et latice eliso dolia magna replet:
Fœtaq; odorato, & rubicundo nectare poma
Alcinoi grauidis demetit arboribus:
Non æstus grauis est, non frigus. at æqua sopori
Nocturno tepidæ tempora lucis eunt.
Acis Grata mihi genialis hyems. tunc altà labori
Ocia succedunt, ocia grata nimis.
Tunc iuuat una omnes multo risuq; iocisq;
Circùm lucentem conuigilare focum.
Carmina cantare in numerum: pede tundere terram
Lydia dum tenero buxus ab ore sonat.
Sæpe frui parto, & conuiuia ducere læta;
Et molli curas attenuare mero.
Myr. Cum pater omnipotens immensum conderet orbẽ:
Candida purpurei tempora ueris erant:
Aequabatq; dies noctem: spirabat & aura
Lenior: & uario flore nitebat humus.
Surgebant teneræ fruges tellure inarata,
Herba recens pratis, arboribuq; comæ.

Cleo.

Cleo. Quin, cũ primùm homines immisit mollibus aruis,
Et tenero mundi conditor astra polo:
Tunc Autumnus erat: paribus librabat & horis
Sol orbem: & Bacco vinea diues erat.
Mitibus & pomis arbos, & frugibus arua.
Omnia perfecti plena decoris erant.
Idas. Ver sacrũ Veneri, & flore nam tum omnia florent.
Aestas spiciferæ est maxima cura Deæ.
Lenæo patri, & Pomonæ Autumnus amatur.
At molli Genio pigra dicatur hyems.
Acis. Ver floret puero similis. flauescit, & ardet
Aestas in morem multiuoli iuuenis.
Congruit Autumnus deferuescentibus annis:
Inq́ senis morem frigida canet hyems.
Talia post ijdem patrio sermone vicissim
Certantes umbra sub viridante canent.
Gens ruris bibula circumstans hauriet aurer
Carmina dulcisonis euariata modis.
Absistetq́ suo Zephiri leuis aura susurro:
Atque ore intento victa silebit auis.
Post simul implicitis per mutua vincula palmis
Ductabit molles in numerum choreas
Auratis tunicam zonis succincta iuuentus:
Iuncta libens puero quæq́ puella suo.
Ante quidem, retroq́ ibunt: tamen ipse reductus
Passus erit semper progrediente minor.

Procedentq; magis non æquis paßibus vltra:
Dum tacita admoneant sistere fila pedes.
Mox cupidi, fidibus rursum resonantibus, omnes
Comprendent sociam quisque repente manum.
Inq; orbem, rectumq; ibunt simul ordine longo:
Reflexusq; inter se varios repetent.
Atque hac, atq; illac incedent. aurea tales
Nocte serenanti sidera agunt choreas:
Tales instituit Cretæis Dædalus oris.
Ignibus auxilium pulchra Ariadna tuis.
Quis, referat pætis hærentia lumina ocellis?
Vnde pharetratus spicula tendet Amor.
Compressus manuum, suspiria feruida, quasq;
Concipient blandas saucia corda preces?
Psallendi iam finis erit. diuellet amantis
A læua dextram vix tamen omnis amans.
Crudelis, miseros tu dissociabis amantes.
Mox repetes agili consona fila manu.
In medijs gemini incipient, saltare periti,
Graminea alterno pellere prata pede.
Nunc hos, nunc illos videas iactare decenter
Brachia; & ad certos crura mouere modos:
Nunc se sublimes in gyrum tollere saltu:
Et nunc diuersos, nunc simul ire pares:
Et motum variare pedum: faciliq; rotatu
Exiguo haud paulum vertere se in spatio.

Non

Non ſecus ac figulus facilem experiatur in orbem
Comprenſam dextra poſſe citare rotam.
Spectabunt alij circùm, denſo ordine. at illi
Inflectent varijs mollia membra modis.
Huc certè veniet tibi formoſiſsima Chloris;
Alterno terram plaudere docta pede.
Et Pholoen comptis inſignem ad tempora cirris
Angephili, vt magnes, attrahet acer amor.
His vbi finis erit: melius ſaltantibus ipſe
(Nec me fallet amor) præmia iuſta dabo.
Præmia erunt niueæ pennæ, croceiq́ cothurni,
Inſigne & nodis, & nitido ære pedum.
Et tenues mitræ, & digitalia eburnea, & aptis
Cum fuſis flauæ, verticulisq́ colus.
Hæc, & plura caua pendebunt arbore dona,
Arbitrio melius diſtribuenda tuo.
Interea ardentes dura certare paleſtra,
Nudabunt celeri membra toroſa manu:
Palladiosq́ petent latices. tingetur oliuo,
Et ſuper infuſo puluere fuſca cutis.
Hîc gemini, totidemq́ illic haud mollia duris
Conferre incumbẽt pectora pectoribus.
Sed cur non referam potius, quos vidimus ipſi
Luctantes nuper, robore & arte pares?
Deſcendunt oleo perfuſi, & puluere membra
Campeſtris Dorylas, monticola & Celadon.

Vara quidem primo congressu brachia tendunt:
Se tamen iniecta prendit vterque manu.
Robustis certat medium vincere lacertis,
Et tellure suum sternere quisque parem.
Connixi demum correptam nexibus arctis
Ceruicem pariter, duraq́ terga premunt.
Hic illum ad pectus strictum vi tollit: humiq́
Sternere contendit. fortis at ille tamen
Viget vi multa vrgentem: voluitq́ lacertis
Voluentem. plantas firmat vterque solo.
Viribus est paulo Celadon, & corpore maior.
Non multò est autem dexteritate minor.
Anceps lucta diu. interea de pectore toto
Plurimus, & toto sudor ab ore fluit.
Ac mora nulla. manu vitantia crura lacessunt.
Sæpe pedis tentant fallere fraude pedem:
Immiscentq́ dolum virtuti. sæpius acre
Vesanas vires ingenium superat.
Ac demum Dorylæ Celadon euersus ab arte,
Gramineum duro tergore plangit humum.
Prostrata ipse quidem victus vix denique membra
Tollit humo: solus vix genua ægra trahit
At victor læto incedit per gramina vultu:
Formosumq́ refert præmia grata pedum.
Post hæc accincti rapido contendere cursu,
Complosæ expectant vltima signa manus:

An-

Anthus flos nitidæ pubis, hirsutus & Aegon,
Paruus & ingenti cum Stimicone Lycus.
Intenti expectant primi sub liminis oras,
Porrecti læuum corde micante pedem.
Audito signo, contorti fulminis instar,
Ecce suis pariter finibus exiliunt,
Acti spe laudis, positaq; Cupidine palmæ:
Et spatium planta præpete corripiunt.
Hos neruo adducto expulsum præuertere telum
Posse puta: & Ladæ segnius isse pede.
Emicat ante alios Anthus. tunc omne resultat
Vndique adhortantum voce fauente nemus.
Huic plerique fauent: hunc palmam acquirere vellent.
Virtus in pulchro corpore grata magis.
Accelerant cursum plantis pernicibus omnes:
Remigijq; instar brachia lenta mouent.
Iam medium attigerant spatium: cum labitur Anthus:
Vt depressa parum rore madebat humus.
Exilit at subitò: suffususq; ora pudore,
Euolat: & tales fundit ad astra preces.
Summe pater, fer opem. ante alios contingere metam
Da mihi. grata tibi tunc ego dona feram.
Sic ait: & sese suffectis viribus effert:
Poneq; iam linquit cum Stimicone Lycum.
Et modò postremus, nunc palma secunda priori
Incumbit calcem, iam prope calce ferit.

Cer-

Ceruicemq́ illi afflatu calefactat anhelo.
Iamq́ ferè est geminus victor in ambiguo.
Sub calcem aduentant. Aegonem præterit Anthus:
Iamq́ tenens metam præmia prima petit.
Illi donatur depulsus ab vbere matris
Agnus, & ex oleæ texta corona comis.
Protinus insignem villis candentibus agnum
Ipse suæ victor, Phyllidi habere dedit.
Quam vibrata decet coma myrrhea tempora circùm,
Suaueq́ suffusus fusca per ora rubor.
Deperit hanc Anthus, felix Alcone, & Agyrta
Fratribus: at felix diuite dote magis.
Quid loquar, vt volucris neruo exturbante sagitta
Certabit signum tangere propositum?
Et sua, qui terno saltu stata signa priorum
Transiet: vt magno dona fauore feret?
Ille sodalitij nostri risusq́, iocusq́,
Ille tibi lepidè Pieri lusus amans,
Purpureo cinctus panno pectusq́, humerosq́,
Et canum Lauri fronde virente caput:
Ipse coronabit victores. arduus inde
Impellet grandi pectine fila lyræ.
Carminaq́ adiungens chordis vocalibus, omnes
Grandisono ad magnos euehet ore deos.
Addet, vt Eurotas vnctos ceromate vidit
Sic olim ad ripas ludere sæpe suas,

Al

Alpheusq́ suas: vtq́ ad spectacula sæpe
Ora immota suis exeruere vadis.
Ergo sub ingenti platano sola gramine picta
Tunc oculis nostris grata theatra dabunt.
Omnia lusus erunt, plaususq́ hilaresq́ cachinni.
Omnibus his ludis post modo finis erit.
Hinc te subducens solam sectabere solus
Formosam vmbrosas Chlorida per salices:
Amplexus caros, consertisq́ oscula labris
Forte petens, & quod dulcius esse solet.
Aut gelidi innocuo succedes fornicis antro:
Vnde susurrantis riuulus exit aquæ:
Purus & obliquo per agros pede currit amœnos:
Halantisq́ horti florea culta rigat.
Antri vestibulum nigræ tegit ilicis vmbra:
Plurima vbi vario gutture ludit auis.
Hinc nec Myrtus abest, nec laurus, rosq́ marinus,
Nec violæ omne genus, nec genus omne rosæ.
Intus sunt leui natiua sedilia saxo:
Hinc hedera, hinc musco summaq́, & ima virent.
Hic diuina leges Venusini carmina vatis
Seu lyricis solues ora diserta modis:
Qui post, innumeris in se redeuntibus annis,
Viuant intacti morsibus inuidiæ.
Tum volucrum cantu illectus, & murmure lymphæ,
In viridi capies somnia grata toro.

Aut

Aut densa hirsuti subter coryleta Philonis
Vitrea quà mutos educat vnda greges:
Margine in herboso ripa residebis opaca:
Et penetralis aquæ visibus ima petes.
Aspicies caudis sinuatis lubrica pisces
Agmina per liquidas ire redire vias.
Proiectas micas tum carpere subsilientes
Certatim vndiuago per vada septa gradu.
Hæc intra squali, & tincæ viuaria ludunt,
Tuq́ vorax Luci, tuq́ lacustris Acon,
Lubricaq́ Anguilla, & bis ter pariens Cyparinus,
Chrysophrysq́ auri flaui imitata decus.
Ne referam paruorum examina pisciculorum:
Qui pellucentis marmoris ima tenent.
Tecum Fulcus erit salso sale salsior omni,
Melq́ adeò nostri dulce sodalitij.
Gramine in accliui stabit: cupidusq́ rapinæ,
Seu latis pisces retibus excipiet:
Seu tenues hamos. quos esca dolosa recondet:
In medias longa mittet arundine aquas.
Piscis inhærebit fallaci protinus hamo:
Quem tremula è medijs linea ducet aquis
Pendentem seta, & salientem cernere prædam
Iuuerit: & lento vimine ferre domum.
Hæc pater Angephilus solus loca sæpe pererrat:
Hæc illius amor, delitiæq́ tenent.

Tunc

Tunc etiam tecum inuiset loca grata libenter:
Cultaq́ Petrarchæ carmina sæpe canet.
Contendetq́ probare tibi, sub nomine Lauræ
Velari versu non referenda meo.
Sic Dantem fecisse, Palæstinæq́ potentem:
Mystica lasciuè qui cecinere sacra.
Ipse autem æstiua in cella, horto ve in amæno:
Plurima quà viridem protegit alnus humum:
Nunc syluas, nunc rura legam, nunc arma, virumq́:
In mea nunc doctas vota vocabo Deas.
O mea si faciles à me sibi rite dicata
Non dedignentur visere tecta Deæ:
Et dictare mihi rerum celebrantia Patrem,
Cumq́ sua Natum virgine matre Deum,
Carmina: quæ superis placeant (ea maxima cura)
Quæq́ adeo nunquam deleat vlla dies.
Tunc ego despiciam pinguis latissima terræ
Iugera. tunc valeant diuitis vrbis opes.
Vrbs alijs placeat. at syluæ, & flumina, & vmbræ,
Et dulcis placeant tunc mihi ruris opes.
FELIX qui populi fasces, & tecta potentum,
Et miseri spernens anxia vota Mydæ:
Vmbrosas valles, fontesq́, & florea tempe,
Et nemora, & volucrum carmina lentus amat.
Non illi molles abrumpunt classica somnos:
Aequoris infidi non timet ille minas:

Spes auidas magnis regum non paſcit in aulis:
Virtute potior ſors vbi cuncta regit.
Non triſtes vano à populo fert ille repulſas:
Non fert inſani ferrea iura fori.
Non metuit, mitis ne Bacchi pocula, néue
Puros inficiant dira venena fauos.
Securus ſed lacte famem ſolatur, & illis,
Quas largè fruges annua terra parit.
Sed nitidos gelido latices de fonte per æſtum
Haurit: & arentem pellit ab ore ſitim.
Et patriæ herboſa proiectus in arboris vmbra,
Ad raucum murmur lene fluentis aquæ,
Captat inabruptam tranquillo corde quietem
Vnanimis caſto coniugis in gremio.
Nunc laqueo captat volucres, & arundine piſces,
Et cane ſyluicolas per loca amœna feras.
Nunc in quincuncem gaudet diſponere plantas:
Et malis molles inſeruiſſe pyros.
Nunc vitem viduas propagine ducit ad vlmos:
Atq; effuſa nimis brachia falce premit.
Nunc legit apricis dulces in collibus vuas,
Pomaq; fœcundis mitia ab arboribus.
Percipit & fruges, cellisq; recondit auitis:
Quas reddit largo fœnore magna parens.
Sæpe etiam trepidant cum frondea brachia pinus,
Aure bibit ſuauem canticulam Zephiri:

Su-

Suspiciensq; altum meditatur pectore puro
Cælica, quæq; pios præmia certa manent.
Riteq; supremi seruas præcepta parentis:
In quibus humanæ summa salutis inest.
Scilicet hanc vitam prisci coluere parentes,
Aurea falcifero regna tenente deo.
Hinc nemora, & montes, non ambitiosaq; rura
Inuisa coluit Aesacus vrbe procul,
Castus & Hippolytus pulcherrima cura Dianæ:
Quamuis hic esset regis, & ille genus.
Quos comitabantur semper lætissima pubes,
Atq; Molossorum viuidia turba canum.
Sæpe leues calamo ceruos figebat vterque:
Sternebatq; acres cuspide victor apros.
Sæpe quiescebat lassus viridante sub vmbra:
Oraq; fontana sicca rigabat aqua.
Gaudebatq; famem solari paupere mensa.
Arbuta erant illis, partaq; præda cibus,
Interdumq; faui dulces cum lacte recenti.
Condibat cænam parta labore fames.
Hæc tibi vita placet meritò, doctissime LOLLI:
Cui sedet in blandis Suada diserta labris.
Hæc tibi GALLE *placet, ruris noua gloria: per quem*
Extollit nitidum Brixia opima caput.
Hæc tibi Musarum, Phœbiq; ò maxima cura,
O & BENTIVOLÆ *gloria summa domus.*

Alma propagatrix vitæ est bene nota voluptas:
Hæc est grata tibi, dulcis; & alma quies.
Testis villa tua: Euganeam quæ prospicit urbem
Testis Medoacus, populi ferq; Padus.
Hîc gratas Nymphis gaudes inflare cicutas:
Hîc victura diu carmina culta facis.
Qualia sæpe Maro syluis cantauit in altis:
Qualia in Aetnæo gramine Simichides:
Qualia Mænalijs capripes Pan sæpe sub antris
Imparibus modulans lusit arundinibus.
Te quoque, CAMPEGI patriæ lux maxima, talis
Vita iuuat: testis Tusculа villa tua:
Villa patens cunctis, regali splendida cultu:
O tali felix villa quater domino.
Felices horti, fortunatissima prata:
Quæq; ille aspectu vos beat arua suo.
Hîc felix animi, procul ambitione relicta,
Eq; sui pendens vnius arbitrio,
Pangit nunc aliquid magnum: & feliciter audet
Conferre æterno cum Cicerone pedem.
Nunc rerum exquirit causas, præceptaq; vitæ;
Quiq; status urbem, quiq; domum deceat.
Dum tecti subter penetralia culta superbi
Inter doctorum scripta diserta sedet:
Argutas ve inter volucres beneolente sub vmbra
Lauriq; myrtiq; ad leue murmur aquæ:

Nil

Nil vnquam cessat. vatum monimenta piorum
Sæpius euoluit: dictaq́ sacra legit.
Despiciensq́ humiles curas, super ardua Cæli
Sidera felici mente, animoq́ volat:
Et magni latè spectat opera alta Parentis:
Et magno illius numen honore colit.
Dumq; hominum generi studet esse piusq; bonusq́;
Alta sibi facilem munit ad astra viam.
Gnosia sic inter Plato cupresseta verendas
Leges ante vrbi compositæ instituit:
Vmbriferamq; Academiam perdiscere iussit
Virtutum seriem. talis & ille senex,
Quem sapere ante omnes magnus respondit Apollo,
Diuini pulchrum struxit Amoris opus,
Proceræ platani patula deiectus in vmbra,
Ilissi ad gelidam subsilientis aquam.
Talis & in patrio felix Gargettius horto
Florentis Sophiæ germina ad astra tulit.
O vmbræ, ò zephiri, ò fontes, ò mollia tempe,
O bene compositi vera quies animi:
O studijs iucunda sacris, ò semper amica,
Grataq; Pierijs ocia virginibus.
Hanc longùm, ò superi, nobis concedite vitam:
Sic date supremum viuere ad vsque diem.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Quintus.

SOLATIA POMERIDIANA.

AT cum iam medium Phœbus trāsuectus Olympum,
Pronus anhelantes in mare verget equos:
Seq́ calor franget surgetq́ salubrior aura:
Arboreq́ à densa longior vmbra cadet:
Per virides campos, per mollia vallis opacæ
Gramina congressi lene petemus iter.
Nos primùm excipiet solerti splendida cultu
Villula, picturis et decorata nouis,
Frigidaq́ ardenti sub sole. vbi munda supellex:
Et circùm semper citrea sylua viret:
Aureaq́ ostentat poma. hic fons purus, & antrum:
Hortulus hic fœtu versicolore nitet.
Astylus hac villa est felix, & Chloride nata:
Qua nulla hic certè pulchra puella magis.
Quid dicam, vt blandis verbis. vultuq́ sereno
Nos læta accipiet cum patre nata suo.
Viq́ sua feret ipsa manu tibi cerea pruna,
Malaq́ purpureis aurea cum cerasis.

Omnia

Omnia quæ pingent nitidæ violæq́, rosæq́
Nec deerunt liquidi pocula plena meri.
Ipse suis manibus miscebit dulcia vina
Flauus Hylas Pholoes suaue rubentis amans.
Digressi hinc tandem per opaci gramina ruris
Leniter, inceptum nos repetemus iter.
Non procul est vallis: quam Clusam nomine dicunt:
Nam sex villigeris clauditur ampla iugis.
Hæc iuga demittunt in planum molliter orbem
Decliues, veluti curua theatra, plagas.
Harum quæ croceos Auroræ prospicit ortus,
Et tepidis spectat quæ loca fœta Notis:
Has vineta tenent, cerasi, ficusq́, oleæq́:
Plurimaq́ insanæ Phillidis arbor habet.
Quæ vero ad Boreã, et gelidas plaga vergit ad Arctos
Hanc sacra Chaonio quercea sylua Ioui,
Fraxineumq́ nemus conuestit. fraxinus omnis
Frondentes ramos, quercus & omnis habet.
Planitiem vallis abies, cupressus acuta,
Procera & laurus, pinus & ampla tenent:
Excluduntq́ solo rapidos Hyperionis ictus.
Herba solum vario picta colore tegit.
Hîc salit e ramo in ramum: & sub frigore opaco
Turba frequens auium carmina densa canit.
Hîc occulta sibi posuere cubilia damæ,
Et lepores pauidi, capreoliq́ leues.

Fri-

Frigidior glacie, & pellucidior cryſtallo
E lapide hîc leni proſilit unda ſono.
Luminibus grata, & ſitienti optabilis ori
Dimidiæ vallis florea prata rigat.
Efficit hîc ſtagnum. huius in ima ſede minuta,
Quam vacuus numeres, glarea picta iacet.
Nec tantum liquido ſpectes in marmore fundum,
Lubrica ſed paruos agmina piſciculos.
Non aggeſta lacum circumdat ripa, ſed herba
Alta ſoli: circùm quam vagus humor alit.
Hinc fugit exiguum, ſuperat quæ lympha per alueum:
Et raucum ſtrepitans inferiora petit.
Non ſecus (aſsimilare licet ſi grandia paruis)
Profluit è facto Mincius unda lacu.
Cynthia venatu ſyluarum languida, & æſtu:
Cum rapidus medio frater in orbe furit:
Hanc vallem (vt fama eſt) cum virgineo comitatu
Intrat: & his gelidis nuda lauatur aquis.
Tum molles ducit choreas per prata ſub vmbris:
Dum calamo Crotales chorda dat icta ſonos.
Nos quoq; formoſam vallem viſemus: & vmbra,
Et nemore, & dulci ſæpe fruemur aqua.
Sæpeq; depoſitis in molli veſtibus herba,
Nabimus huc illuc per vada ſecta lacus:
Et mutos vitrei laticis capiemus alumnos:
Dum trepidas texent per ſua regna fugas,

Hinc

Hinc demum seu nostra petemus limina: siue
Pergemus placidam longius ire viam,
Interea vndenos impellet pollice neruos
Fulcus: & ad numerum carmina lecta canet.
Magnanimum referet longeui Atlantis alumnum:
Quosq; duces letho Marte fauente dedit.
Praeclarae (vt memorant) fuit ille propaginis auctor:
Quae regit Eridani frena potente manu:
Et pulchrae Italiae, & lato decus additur orbi:
Cui ventura queat nulla nocere dies.
Phlegraeasue minas, horrentiaq; Oromedontis
Fulminea referet praelia gesta manu.
Nam quis probra canat: domina quae spretus iniqua
Foemineum falsò iecit in omne caput?
Ah. crudele genus, nec fidum foemina nomen:
Contenta est vno foemina rara viro.
Hinc fletus, curaeq; graues, rixaeq;, necesq;,
O pereant omnes. sed tibi nota satis.
Aut Monodantiadae duro in certamine Martis,
Ah male tum cauti, fata cruenta canet.
Vtq; alga in Lybica dulci pro coniuge rapto,
Infelix coniux concidit exanimis:
Quaeq; velut Maenas fusos laniata capillos,
Humentesq; genas, pectore dicta dedit.
Hic motus queruli Angephilus dulcedine cantus,
Sustollet geminas sidera ad alta manus:

Dicet & : ò superi, quàm pulchre . dulcior vnquam
Attigit has aures nulla querela meas .
Sic viduata suo prædulci turture compar,
Sola sedens ramis ingemit aridulis .
Sic fatum Alcyone plorans crudele mariti ,
Flebilibus complet littora curua modis .
Sic variat querulos dulci modulamine cantus ,
Amissum deflens Actias ales Ityn
Sic orbata parens vitulo mugitibus altis
Et nemora, & valles , & stabula alta replet,
Omnia collustrans oculis. non roscida curam
Pabula, non liquidi fluminis vnda leuat.
Hæc ille. interea Fulci testudo silebit :
Mox perget dulces reddere tacta sonos .
Tunc ignes, quibus incaluit sata Amone puella ,
Et querulas voces illius ipse canes.
Dum cupit, optatam finito tempore lucem
Ad sua iam sponsum ducere tecta suum :
Dinumeratq; dies : atque illum vespere sero
Illum nocte vocat, & redeunte die .
Anxiaq; exoptat, simul Hesperus astra reduxit :
Exerat vt vitreis Lucifer ora vadis:
Vtq; rosis variata genas , variata ligustris ,
Tithoni croceum linquat amica torum .
Et queritur tardos Hyperionis ire iugales:
Tardaq; nocturnos sidera inire choros .

Sæ-

Sæpeq́, si veniat, turri speculatur ab alta:
Sæpeq́ subiectas itq́, reditq́ vias.
Iamq́ videns fixo non illum tempore adesse,
Insuper & multos præteriisse dies:
Ingemit: & crebris implet loca sola querelis:
Et largo roseas irrigat imbre genas.
Atque illum ad sanctamq́ fidem, optatosq́ hymenæos
Aduocat: & lentas increpat vsque moras.
Ad numeros igitur fidium hos cantabis amores:
Verbaq́ vel Libycas apta mouere feras.
Vtq́ eadem Mauros aurata perculit hasta,
Fulgenti nitidas caßide pressa comas:
Confertas Teucrorum acies ceu Volsca Camilla
Diruit, & Danaûm Penthesilea globos.
Aut cataphractorum, memori de pectore prompta,
Palatinorum fortia facta canes.
Quæq́ adeò insani furiis agitatus amoris
Geßit, & inuicta fortiter ante manu.
Imperii robur, ferro impenetrabilis heros:
Vestigat dominæ dum rosea ora suæ:
Qua sol Oceano exoritur, quaq́ occidit vndis:
Quaq́ riget duro Mænalis vrsa gelu.
Ipse canam, quæ ve in deserto littore virgo
Dixit, ab ingratò sola relicta virò.
Flecte Birene ratem: crudelis flecte Birene.
Perfidus ille fugit quid mihi fiet? ait.

Crudeles venti: crudelis ſomne. ſed iſtis
Tu mage crudelis huc age flecte ratem.
Nam quò me vertam miſera? alitibusq́, ferisq́
Heu præda actutum dilaceranda dabor:
Iniecta nec humo tumulabor mortua. iam nunc
Iuranti credat fœmina nulla viro.
Optati compos, periuria perfidus ille
Aeolijs tradit diripienda Notis.
Hos queſtus tunc ipſe canam: eiuſdem ve puellæ
Expoſita æquoreæ membra decora feræ.
Quæ ve Caledonius heros ſub funus acerbum
Mærentis dixit coniugis in gremio.
Vtq́ animæ fuit hæc magnæ mox prodiga virgo:
Ne caræ ferret damna pudicitiæ.
O quàm me oblectant illius verba puellæ:
Intactam dominam quæ docet eſſe ſuam.
Ah puer infelix: quò te malus vrget & error,
Et dolor inſanus? ah tibi parce puer.
Et tu pone metum virgo pulcherrima. paret
Aßiduo triſtes rore rigare genas.
Fidus amans viuit: ſeq́ in diſcrimina vitæ
Offert pro fama, proq́ ſalute tua.
Infidusq́ ſui pœnas dabit ille furoris:
Qui turpi infandos texuit arte dolos.
Inde tui ſemper puroq́ nitentior auro,
Luceq́ lucidior fama pudoris erit.

Nos

Nos ergo vndenis iungemus talia neruis:
Lustrabunt nostri dum loca sola pedes.
Omnia quæ Etrusco diuinus carmine vates
Ad patrij cecinit læta fluenta Padi.
Illi cessit olor cantanti: electraq́ lætæ
Roscida stillarunt largius Heliades.
Insuper & Fulcus, quæ nuper carmina fecit,
Aut hoc ad citharam suauiter ipse canet.
*V*MBRANTVR *montes. latebras nos linquere dulces*
Cogimur, & nostras approperare domos.
Delitiæ Rhodigina meæ, sub lumina solis
Sola sub has corylos ad noua dona redi:
Cum primùm poteris te te subducere matri.
Mane sub his corylis ipse ego solus ero.
Ne metuas. veniam prior ipse: tibiq́ meum cor,
Binaq́ cum valido passere poma feram.
Hei mihi, fers tecum mea corda. vale mea vita.
Vmbra vale nostris conscia delitijs.
Aut illud. NIL te melius mortalibus ægris,
Nil te, dulcis Amor, dulcius esse potest.
Tu pellis tristes tristi de pectore curas:
Albus sæpe fugat nubila vt atra Notus.
Dulcibus & vinclis felices iungis amantes:
Viuat in alterius corpore vt alter amans.
Si quis forte tuo demum succenditur igne:
Hic, licet incanum tempus vtrunq; gerat:

Ca-

Canicieq́ immissa ita pectus opacet, vt vnum
De grege Zenonis, Pythagoreq́ putes:
Et cantus amat, & choreas, lususq́ procaces,
Quæq́ beant hominum dulcia furta genus.
Nec mirum. ambrosiam, & nectar dulcedine vincunt
Dulces amplexus, dulceq́ amoris opus.
Talis dulcedo paulum si longior esset:
Esset amatorum vita beata nimis.
Nos igitur, dum fata sinunt, iuuenesq́, senesq́
Sectemur dulcis dulcia castra dei.
Talia tunc liquido Fulcus modulabitur ore
Argutæ socians mollia verba Chely.
Et nostros quoq; nos inter memorabimus ignes,
Leucidis ipse meæ, Chloridos ipse tuæ.
Sæpe etiam Angephili lepidos ludemus amores:
Non iniucundi fabula plena ioci est.
Nam cum vernantes pingunt violaria campos:
Et croceis florent culta vireta rosis:
Angephilus nitidos errabat fortè per hortos,
Aestifero cupiens se recreare die.
Nunc varios flores texenda in serta legebat:
Miscebatq́ illis lauri, apijq́ comas.
Nunc lento incedens passu sub opaca salicti,
Tangebat tremulo pollice fila lyræ.
Ardentisq́ rosæ antiquos memorabat honores,
Garrula connectens stamina carminibus.

Scilicet vt rediens vmbrarum à ſede Cupido,
Victor ouans ſpolijs Perſephonea tuis;
(Nam te formoſi flammarat Adonidis igne)
Fortè, vagus luſtrat dum loca ſenta ſitu:
Lugentes venit in campos: hîc vbi amantes
Amentes circum myrtea ſylua tegit.
Vtq; illum inuadunt confertæ Heroides: utq;
Inijcit ante alia Seſta puella manus,
Phædraq; cum matre, & Phyllis, Sapphoq;, & Eliſa.
Quid faceret tantis ſolus in inſidijs?
Incautusq; puer, nactus loca iniqua volandi
Nocte adeò in denſa, denſo adeò in nemore?
Vtq; manus vinctum dum pœna vindice certant
Mulctare, & varijs excruciare modis:
Ecce ſuperueniens expreſſo ſanguine tinctum
Sutilibus plectit mater & ipſa roſis,
Se cum Marte dolens deprenſam crimine nati,
Cæcaq; dijs coram vincla tuliſſe viri:
Dum cupido nudum complexu nuda teneret
Inter blanditias, gaudiaq; ambroſia.
Ex illo roſa ſanguineum magis ignea fucum
Traxerit, Idalio tincta cruore prius.
Talia cantantem, neruosq; ad verba mouentem,
Incinctumq; rubris tempora cana roſis,
Pieris Alcippe, & dentatò nata Philone
Vidit: & intentis audijt auriculis.

Quæ

Quæ tum forte latens poſt ſepem in ſerta legebat
Candida purpureis lilia cum violis.
Munditiem mirata ſenis, faciemq́ ſuperbam,
Obſtupuit: tacitos extulit inde pedes:
Ceu nemore ex alto auratis armata ſagittis,
Prodire in ſcenam pulchra Diana ſolet.
Seq́ ſui cupiens ſexus de more videri,
Haud procul in molli gramine læta ſedet.
At ſimul aſpexit pulcherrima virginis ora:
Protinus attonito, ceu lapis, ore ſilet
Egregius cantor: obtutuq́ hæret in illa:
Concipit & cæcas dura per oſſa faces.
Accedit: ſentitq́ ſibi iam corda tuendo
Paulatim euelli pectoris hoſpitio.
Ac nimiæ impatiens flammæ: ò inquit, mea vita,
O deſiderium pulchra puella meum:
Ni mihi tu caris oculis, caraq́ ſalute
Carior es: nunquam ſim tibi carus ego.
Ah precor, ah facilis moribundum reſpice amantem:
Accipe in amplexus me mea Diua tuos.
Dixit: & extemplo Satyri de more ſalacis
Feruidus optatum proſilit in gremium.
Et modò lacteolum pectus, modò eburnea colla
Laſciua tangit, nunc roſea ora manu.
Dumq́ reluctanti rapere oſcula tentat: & addit:
O mi dulcis amor, da mihi ſuauiolum:

Mi

Mi face delitias: cur ah mihi gaudia differs?
Ecce minax alto pectine Phœbus adest:
Qui teneræ magno Nymphæ calefactus amore,
Riualem quenquam non pote ferre virum.
Atque ita vociferans: scelus audes improbe tantum?
Surgenti scapulas terq́, quaterq́ ferit.
Turpis vt extaret longo post tempore liuor
Cæsus amans largis fletibus ora rigat:
Eiulat & multum pueri de more: Napææ
Riserunt: horti risit & ipse deus.
Vtq́ fugam celerat præda lupus ipse relicta,
Pastorum incursu territus, atque canum:
Sic fugit Angephilus Phœbæi pondera plectri:
Limosamq́ amens decidit in foueam.
Præcipitans vix clamat: Io succurrite diui.
Clamanti replet liuidus ora latex.
Sese efferre quidem luctatur: at implicat alto,
Immergitq́ luto se magis, atque magis.
Sic volucris visco pennas correpta sequaci,
Fallaci ramo dum male cauta sedet:
Quò magis excutitur, terramq́ euerberat alis:
Hoc magis atque alas impedit, atque pedes:
Luctatus manibusq́ diu, pedibusq́ relinquit
Cum tunica soleas in retinente luto.
Seq́ hinc euellit, veluti sus, membra lutosus:
Et fugiens densos incidit in pueros.

Concurrunt omnes: inq; illum talia iactant
Ah hinc in fœdum sus fuge fœde lutum.
Ex saxis agitant: & sibila crebra profundunt
Infesti: celerat perditus ille pedes.
Ac demum euadit clamorem, & saxa sequentum:
Vixq; trahens animam proxima tecta subit.
Hîc, postquam vires cum mente, animoq; recepit:
Ter puri sordes abluit amnis aqua.
Debita post almæ persoluit vota parenti.
Exhaustos casus picta tabella docet.
Ardet Pierida ex illo malè sanus: & odit
Riualis Phœbi carmina, plectra, lyram.
Talia narrabit per amœna vagantibus arua
Fulcus: cui blando Gratia in ore sedet.
Iucundi interea spectabimus ocia ruris:
Vomere vt arentem frangat arator humum:
Et stiuæ innixus longos trahat ordine sulcos:
Et peragat versum. ponè nigrescat humus.
Vinitor vt circum plantas, vitesq; nouellas
Incumbat ferro pingue mouere solum:
Eliciatq; leues decliui tramite riuos:
Inducatq; satis, cum sitit hortus, aquas.
Fœniseca vt latos in gyros falce reducta
Pratorum virides tondeat ipse comas:
Siccariq; sinat: furca versetq; bicorni:
Tum raro tonsam pectine verrat humum.

Vt spissas frondes stringat frondator in vlmo:
Fiscinæ & immittat pabula grata gregi.
Atque idem interea stridenti incondita voce
Pendulus aerijs concinat arboribus.
Tollat & ad cælum dominæ flauosq́ capillos,
Nigrantesq́ oculos, purpureasq́ genas.
Alueolis ut apes auertat villicus: vtq́
Exprimat exemptis pinguia mella fauis.
Vt patulæ in densa recubans anus ilicis vmbra,
Nuda pedes, albo vellere operta caput,
Tarpeias seruet volucres herbosa per arua,
Deducens grauida lanea pensa colo.
Pastor vt impubes hædos sectetur, & agnos,
Sibilaq́ argutis flectat arundinibus,
Vtq́ sub vmbrosa sedeat Capraria rupe,
Flaua comas, pectus turgida, rubra genas.
Et nunc fiscellam gracili festinet hibisco,
Nunc lentis calathum texere viminibus:
Dum simæ virgulta inter frondosa capellæ
Mollia lasciuo gramina dente secant.
Dilectumq́ sibi interea resonare bubulcum
Clarisona doceat frondea voce loca.
Vtq́ puellarum cætus, cui vellera curæ.
Lanigeras puro flumine mergat oues.
Quò densas sordes pellucidus eluat amnis:
Tentari & scabie mollia membra vetet.

 Dis-

Dissimiles mox secernat: ne tenuia crassis,
Alba nigris coeant vellera velleribus.
Inde leui dextra trepidis velamina demat:
Ne forfex teneram lædat acuta cutem:
Singula quid memorem tibi nunc studia agricolarum?
Quæ læta hæc nobis per loca cernere erit?
Quin hæc interdum dimittere cuncta licebit:
Frugiferoq; magis grata labore sequi.
Vitrea verremus sinuoso flumina rete.
Amphrysus funes cum Telesone trahet.
Aut patulam obsesso nassam tendemus in amne.
Distendet teretes squamea præda plagas.
Aut in subiectas escam iactabimus vndas:
Incuruos hamos esca dolosa teget.
Captiuum tremula ducemus arundine piscem.
O quàm iucundum, dulceq; cernere erit
Pendeat vt lino luctans elabier: vtq;
Palpitet exultans arida saxa super,
Inq; cauis cistis: quas nobis vimine lento
Virginea texit dædala Lygda manu.
Ducere erit maculis variatas tergora Percas,
Cum multo haud paucos Mugile Luciolos,
Argento similes Squalos, Tincasq; virentes,
Barbosq; effusos parte ab vtraque iubas.
Nester erit Thymalus: quo non iucundior alter:
Quiq; recens lecti fragrat odore Thymi.

No-

Noster erit cirros imitatus Gobio Barbi.
Seq́ capi nostra gestiet arte Salar.
Et te captiuum lino Cyprine trahemus:
Nec fugies nostros tu quoque Cite dolos.
Tuq́ simul venies in prædam turba minuta,
Assueta occultis lædere aculeolis.
Sed quid ego vndicolas referam, quoscunq́ trahemus
E pellucentis fluminis hospitio?
Dum longas Ligur anguillas, ranasq́ loquaces
Limosa tendet ducere Dictys aqua.
Dumq́ procul Venetus Laurens, & Lydius Almo,
Hic ora ad magni Tybridis, ille Padi,
Auratas capiunt rutilas, suauesq́ Siluros,
Caraq́ Mustelas fercula diuitibus,
Barbatos Mullos, & amantes saxea Asellos,
Et latos Rhombos, quosq; alit vnda Lupos,
Murænasq; auro insignes, rubrosq; Erythinos,
Et molles flauo cum Synodonte scaros,
Dumq; vagã capiunt & Alosam, & te Attile magnũ,
Quem Clupea infesto paruula dente necat:
Ardentesq; Amias infesto inuadere dente
Delphinum: solus dum liquida arua secat:
Liuentemq; vmbram: quæ dum caput abdit arena,
Cætera sic stultè membra latere putat:
Vt putat occultans caput adueniente leone
Bubalus; at frustra: dilaceratur enim.

Pi-

Piscator manibus se mergens impiger umbram
Corripit: & præda diuite lætus abit.
Quin si fortè ferat nonnunquam tædia nobis
Piscandi studium, res ut aquosa nimis:
Vmbriferos saltus indagine sæpe iuuabit
Claudere, & hirsutis obsita tesqua rubis:
Et catulo lepores lustris excire sagaci,
Et multa in raras cogere uoce plagas.
Sectari ue leues spatiosa per æquora damas:
Demereq́ immisso lorea uincla cani.
Venatum modò nobiscum Lycus ibat, & Alcon.
Et frater magnum ruris Agyrta decus.
Ventum erat in saltus placidis uenatibus aptos:
Discurrit passim vis ubi odora canum:
Naribus et pronis sua per uestigia quærit
Occultas inter densa uepreta feras.
Sentibus en geminas lepores ciet: ilicet illæ
Corripiunt celerem per uacua arua fugam.
Tum Lycus ocypetem immittit, Agyrta Lycarban,
Protodromumq́ Alcon, Angephilusq́ Tigrim.
Exuti uinclis, actiq́ cupidine prædæ
Certatim carpunt æquora lata canes.
Quisque suum clamore iuuat, cursuq́ citato:
Eleus qualis uoce iuuatur equus.
Emicat ante alios Tigris: prædæq́ propinquat:
Illius & clunes iam propè dente premit.

Huc

Huc illuc fugit: & celeri cursu, atque recursu
Nititur elabi concita præda metu.
Instant alipedes catuli: leporesq́ fugaces
Corripiunt morsu post spatia ampla fugæ.
Interea, qua parte legit compendia campi:
Alcon capreolum præterabire videt.
Insequitur fugientem acer: cursuq́ fatigat:
Posset cum iniecta prendere iamq́ manu:
Ecce per obliquum callem, qua parua lacuna est:
Dentibus exertis horridus exit aper.
Magnanimus iuuenis fugientem linquit: & hostem
Fulmineum fretus robore, & arte petit:
Impactoq́ fodit ferro. procumbit humi sus.
Liber capreolus tuta se in antra refert.
Tales nos prædas campiq́ per æquora agemus,
Longaq́ veloci per iuga sæpe cane.
Dum magni præstans animi Bargæus Orion,
Venatricis amor, & noua cura deæ,
Horrentes penetrat syluas: tetrisq́ latebris
Excutit ingentes arte, manuq́ feras:
Inq́ plagas timidos facili cane trudit onagros:
Et vafri vulpes decipit ingenij:
Et volucres cursu damas præuertit: & altis
Pendentes capreas deijcit à scopulis:
Et penna includit ceruos, figitq́ fugaces:
Excipit & celeres senta per arua lupos:

Inq; volutabris syluestres conficit apros:
Subsistensq;. vrsos cuspide fundit humi:
Immitesq; audax tigres, magnosq; leones,
Et varias lynces Bacche superbe tuas
Immanesq; vros, immansuetosq; bisontes
(Dum lati montes, & nemora orbis adit)
Caßibus, & fouea, & ferro sternitq;, capitq;,
Auspicijs ductus maxime COSME tuis.
Quo regnante Fides, Astræaq; candida ad Arnum,
Et doctæ Musæ iam rediere diu.
Quiq; nouas vrbes, tot propugnacula regni
Condere non cessas, tot decora alta tui.
Adsis illius felix ingentibus ausis,
Inferet ille astris teq;, tuumq; genus.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM

Liber Sextus.

SOLATIA VESPERTINA.

POST vbi tempus erit: quo feßus curat arator
Deiunctos stricta pascere ronde boues:
Tardus & vpilio compellit arundine longa,
Ponè sequens, pastos ad sua tecta greges:
Nos modico saturi gressu, prædaq; potiti
Tendemus nostri limen ad hospitij.
Hic succincta sinum, teretesq; exerta lacertos,
Et niueo Agnitie linteo amicta latus:
Balantes coget stabulis: numerumq; recensens,
Compellabit oues, nomine quanque suo.
Inuentas omnes deinceps ad mulctra vocabit.
Et lac distentis exprimet vberibus.
Nixa genu illa quidem geminis premet vbera palmis,
Sæpe tamen mulctram calce lacesset ouis.
Interea implebunt mugitibus omnia vaccæ:
Quos reddent valles, & nemora alta procul.
Tum iussæ ad mulctram venient. his summa palati
Continget trito pastor Hinulla sale:

Munere vt hoc captæ discant parere libenter.
Blanda tractabit ilia deinde manu:
Ne renuant dulcem palmis præbere liquorem:
Agnitie deinceps vbera plena premet.
Et stabuli stabunt ad limina nota capellæ.
Agnitiæ matri Nisa leuabit onus.
Effluet vberibus stillatim lacteus humor.
Spumabunt tepido mulctra liquore caua.
Hæc illæ. at bonus vpilio lustrabit ouile:
Sicubi sint auido peruia septa lupo.
Villosumq́ suis pecus in præsepibus arctis,
Inq́ suis lætas claudet Himella boues.
Illis & salicum frondes apponet amaras,
Et cytisi plena gramina lecta manu.
Nec parcet suffire cedro, atq; accendere cerui
Cornua: si sit opus. galbana & vsta iuuant:
Præsertim cum siccus ager. tunc lubricus anguis
Dente venenato sæpe nocere solet.
Hospitis interea vitreis sub Tethyos antris
Sol tinctos roseo gurgite sistet equos.
Tum curru aurato exiliet: positoq́ flagello
Gemmatis demet ardua colla iugis.
Impigræ accurrent Horæ: lorisq́ solutos
Ad sua conuertent pabula quadrupedes.
Obijcient auidis glaucæ in præsepia Nymphæ
Diuinam ambrosiam, et Pæoniam panacem

Exi-

Exiguam quoq; tum nobis sitientibus ampla
Sub fago mensam gnaua parabit anus,
Nec dum caeruleis exiuerit Hesperus vndis:
Aurea sed fuscum sub iuga coget equum.
Cum phialis inerunt nitidis crystallina mensae
Pocula, & aureolo lucida lympha mero.
Lympha petita recens vrna de fonte propinquo:
Qui scatet vmbrosis subter arundinibus.
Intyba & huc venient condita oleo, sale, aceto:
Quae posito fuso rustica verna leget.
Imbutus panis pingui mox iure sequetur,
Haedus & abductus matris ab vberibus.
Vimineo tua Vita tibi cumulata quasillo
Praecocia aurato cortice clausa feret:
Aut cerasa in canis nitido suffusa rubore
Scirpiculis, viola, floreq; picta rosae.
Vtraque ni malis. rubicundo nectare foeta
Nos quandoque etiam fraga iuuare solent.
Sumemus quantum sat erit potusq;, cibiq;,
Condierit coenam parta labore fames.
Sic bene erit nobis: sic Parcae fortia fila
Producent. nam qui molle frequentet iter:
Assuescatq; breui coenae, modicoq; sopori:
Ille sibi niueos proferet vsque dies.
Donec, vbi metam Pylij decurrerit aeui:
Migret in Elysiae laeta vireta plagae.

MOPSVS ter prudens rerum, qui missus ab alto
Rite sacrum pauit per tria lustra gregem:
Hæc dictis, factisq́ dabat præcepta frequenter:
Queis illibatæ lucis inesset amor.
Ille pedo innixus diuino hæc insuper ore
Dicta dabat: retulit quæ mihi fidus Acon.
Discite mortales turpem compescere ventris
Ingluuiem. pestis non nocet vlla magis.
Illa voluptatum, impuræq́ libidinis, illa
Est omnis fœdi fœda parens vitij.
Ampla breui in paruum patrimonia contrahit orbem,
Magnanimûm longo parta labore patrum.
Testis, qui lacero morsu sua membra vorauit:
Natam vbi post patrias improbus edit opes.
Et Diodorus item cum paruo Epicharide testis:
Quippe comederunt qui bona lauta breui.
Ctesippum, Albidiumq́ vt mittam: vendidit ille
Glutiuitq́ sui magna sepulchra patris:
Mænium & impurum: tempestas iste macelli
Et magni patrimoni alta vorago fuit.
Vtq́ alios sileam, cum damno grande ferentes
Dedecus: elueret quod nec aquosa Thetis.
Nam magna vt virtus est, paruo viuere: magnum
Sic vitium est, auidæ mancipium esse gulæ.
Quid, quòd venter edax obtundit mentis acumen?
Extinguitq́ omnes igniculos animi?

Par-

Particulamq́ auræ ætheriæ, quaſi compede vinctam,
Detinet immundo fœda ſagina luto?
Vt cæleſte nihil meditetur: at hæreat vſque
Cœnoſo, veluti ſus lutulenta, ſolo?
Ac non ſolùm ingrata patris rem deuorat omnem;
Et famam, atq; animum ſauciat ingluuies:
Verum etiam corpus iugulat: velut acer inertem
Sub brumam iugulat villicus Atta ſuem.
Diſcite, quodq́ Cilix retulit mihi nauita quondam,
(Ille ſenis Protei nouerat omne pecus)
Quodq́ meus docuit me. Bellunenſis Agyrta:
Pierio multum carus Agyrta choro.
Eſt piſcis: tota qui luce in littore dormit:
Per ſalſas tota nocte vagatur aquas.
A Graijs inde Hemerocætes dicitur. ille
Ante omnes ſtolidus, qui maria ampla tenent,
Sollicita rabie ſemper vexatur edendi:
Quam nulla ingluuies exaturare poteſt.
Donec præ nimio diſruptus viſcera paſtu,
In patrijs fluitet putre cadauer aquis.
Aſt Elephas, quo non prudentior vlla ferarum eſt:
Miraq́ virtutis qui documenta dedit:
Immanes artus, immania viſcera quàmuis,
Non tamen immodico vult ſaturare cibo:
Pabulaq́ aſſuetis reicit ſuperaddita: & inde
Forſitan incolumi tarda ſenecta venit

Nam

Nam vitam victus tenuis, simplexq́ propagat:
Et sæpe à lethi limine restituit.
O fortunati nimium, nimiumq́ beati:
Qui, nondum patris sceptra tenente Ioue,
Assuerant puraq́ sitim deponere in vnda:
Concussaq́ grauem glande leuare famem:
Et legere in syluis roseo matura nitore
Arbuta, quæq́ sua sponte tulisset humus.
Paupereq́ ornabant victu sub paupere tecto,
Aut platano mensam præcipitante die.
Et sat erant dites: si quercus mella ferebant,
Densaq́ cum multo vellera lacte greges.
Aurea tum lætis fulgebant sæcula terris:
Visebantq́ humiles numina magna domos.
Firma Valetudo tum aderat, fortisq́ Iuuenta,
Vixq́ annos numerans cruda senecta suos.
Prodiga Luxuries aberat, malè suada Libido,
Demens Ebrietas, ambitiosa Fames,
Cumq́ sua turpi famosus Apicius arte,
Nec non Harpiya digna rapace gula:
Quippe vorat, quæ nunc cæna (pro dedecus) vna,
Quæ possent inopum tot saturare greges.
Talis cæna fuit: quam principibus Romanis
Mercator Chisius nuper in vrbe dedit.
Aetheris apposuit, terræq́, marisq́, rapinas:
Psittacûm item linguas præbuit innumeras.

Ponti-

Pontificum, Saliûmq; epulas quis conferat illis?
Quasq; triumphales cunque dedere viri.
Sublatas mensis lances, patinasq; argenti
In tua proiecit Tybri superbe vada.
Centena (vt memorant) decies sestertia in vnam
Insumpsit cœnam perditus ille nepos.
At nostris Curijs, nostrisq; Catonibus olim
Quàm simplex victus, parcaq; cœna fuit?
Et Cincinnato, & Serrano post tot honores
Quales sustinuit mensa Sabella dapes?
Ergo subegerunt illi victricibus armis,
Quicquid salsa vagæ Tethyos ambit aqua:
Et Romam inuicta ad Cœlum virtute tulerunt:
Et summum terris imposuere caput.
Mundi iure quidem tales: at sordibus ille:
Qui sua vel iusta viscera fraudat ope.
Qualis vicinus nostri Auidienus Amyntæ,
Multi diues agri, lanigeriq; gregis.
Qui sibi mutatum, famulisq; apponere vinum,
Et nigri panis mucida frusta solet:
Contingitq; oleo caules. sic gestat asellus
Lautas dorso epulas: seq; alit ipse rubis.
Congestis opibus timet ille miserrimus vti:
Quas non longo hæres forsitan in spatio
Absumat: redigatq; ad vilem prodigus assem.
Sic miser in medio Tantalus amne sitit.

Illum

Illum execramur, detestamurq́. sit ô, sit
A nostris etiam finibus ille procul.
Omnibus in rebus medium est. consistere virtus
Hîc amat. hoc sapiens usque tenere solet.
Vos igitur, firmum senio qui tradere corpus,
Et vegeta cupitis mente, animoq́ frui:
Fumantes varijs patinas nidoribus illis
Linquite: queis Phlegeton feruida stagna parat.
Sulphureas illi cogentur pascere flammas,
Impiaq́ æterno tempore monstra pati.
Vobis semper erit præsenti numine felix
Ille immortalis rex hominum, atque deûm.
Vos idem post longa bene actæ tempora vitæ
In læta Elysij transferet arua poli.
Semper vbi Ambrosiæ felicia germina vernant:
Aureaq́ æterni Nectaris vnda fluit.
Semper vbi secura quies, & pura voluptas,
Oreq́ ridenti candida lætitia.
O dulces campi, ò vere noua gaudia vitæ;
O ter felices, quos plaga dia tenet.
Tales edebat fœcundo pectore voces
Aggere in herboso stans bonus ille senex.
Quo viuente simul florebant ruris honores,
Cærula flauenti lilia mista croco.
Quo moriente simul ruris decor omnis abiuit:
Proq́ croco duros arua tulere rubos.

Donec ab ætherio paſtor demiſſus olympo,
Cui pietas meritum nomen habere dedit:
Excidit vepres: contagia dira fugauit:
Miſit & in ſæuos agmina fida lupos.
Securis tandem vt regnet Pax candida in agris:
Et pateant nitido paſcua læta gregi.
Hunc ſeruate diu terris ô numine diuûm,
Parta ſibi meritis ſerus vt aſtra petat.
Sed quid digredior tam longe à paupere menſa?
Me reuocans longas increpat illa moras.
Nobis colloquio dulci, riſuq́, iocisq́
Cœna tuis fiet dulcior Hybla fauis.
Ipſe propinabo calicem tibi Varre Lyæi:
Angephilus Fulco, Fulcus & Angephilo.
Quin tibi nunc referam, quæ in menſa nuper ab illis
Non ſine iucundis dicta fuere iocis.
Cum pateram dulci ſpumantem Fulcus Iaccho
Cœpiſſet: cœpit ſic hilari ore loqui.
Me penes arbitrium voluit Venus eſſe bibendi.
Tunc poſui legem: cui caput illud ineſt:
A ſummo Charites, Veneremq́ bibemus ad imum.
Addimus his dominam. Tu ſacer eſto meæ.
Hunc Cyathum Rhodigina tibi. ſimul ebibit. inde
Repleri vino ſuaue rubente iubet.
Atq; ait: Anghephile hoc totum tibi dulce propino.
En ignis liquidi, mi pater, inſtar habet.

Accipe. quid cessas? pleno te prolue vitro.
Hæc tristes curas diluet vnda tuas.
Lætitiæ pater est Bacchus: bibe fortiter. ecce
In patera vtq; ardet, spumeus vtq; salit.
Pieridis potare tuæ fragrantia finge
Oscula: Pieridis nomen in ore sonet.
Cur ita suspiras? hoc auro discute curam.
Hic liquor à tristi nubila mente fugat.
Mitte precor gemitus. aurum velut igne probatur:
Sic te duritia nunc probat illa sua.
Perfer, & obsequere. obsequio superabis Amorem.
Optatam noctem iam tibi Vesper aget:
Qua deducta, toro in molli tibi rite locetur:
Teq; suo foueat cara puella sinu.
Sic erit. ecce latex rorantis margine vitri
Decidit in mensam: dum tibi dextra tremit.
Hoc omen sperare iubet connubia læta
Ocyus. hoc etiam carmina sacra monent.
Nonne recordaris signata in cortice lauri
Carmina diuina, credis vt ipse, manu?
Tum grandæuus amans: Ego vero, ait illa recordor:
Diuinaq; reor scripta fuisse manu:
Et referam vobis. bis, terq; audita repono?
At sæpe hæc vobis me repetisse iuuat.
PONE metum, ò vates: lacrymosis parce querelis.
Optatam dominam iam tibi iunget Amor.

Iam

Iam tedas, & serta parant, & flammea nymphæ:
Consuta sternunt iam tibi veste torum.
Iamq; tibi pangunt meditantes nobile carmen:
Quod thalamo dicat poste reclinis Hymen
Hæc aliquis deus. hac vna spe denique pascor:
Vt cupido referat se mea Vita mihi.
Et. certè, hæc ego dum canerem mea carmina nuper:
Substitit immoto mitior illa pede.
PIERI te formæ exemplar, vitæq; beatæ,
Demissam cælo quis neget esse deam?
Te certè aureoli crines hanc esse loquuntur,
Auroræq;, tuo qui nitet ore, decor;
Sideribusq; pares oculi, roseæq; papillæ:
Vnde auidus nectar sugere gestit Amor.
Quid, quòd Pieridum certet tibi nulla sororum:
Purpureo teneros dum canis ore modos?
O alto delapsa polo pulcherrima virgo,
Tantùm molle tibi pectus inesse velis:
Tantùm me placido videas, mea Pieri, vultu.
O mihi si dones, te quoque posse frui.
Non ego tum multa optarim mihi iugera terræ:
Non ego tum Crœsi ditia regna velim.
Talia dum canerem: mitis tum constitit illa:
Et facili voces audijt aure meas.
At nunc absenti hunc cyathum tibi cara propino
Lætior: & totum Pieri dura bibo.

Sic ait: & totum labris crepitantibus haurit
Lenæum laticem, talia deinde refert.
Canitiem obiectas mihi, caluitiumq́ proterua:
Meq́ iubes sumpto conspicer in speculo.
Ast ego, sint ne mihi cani, rariq́ capılli:
Nescio. sed scio, quod Teia musa docet:
Nempe decere senem hoc magis & lusus, & amores:
Quò Mors cũ sæua est falce propinqua magis.
Ergo imple crystalla puer Lenæidos vndæ.
Quid cessas? prona vina refunde manu:
Inq́ orbem refer. ò pereat, qui viuere nescit.
Viuamus. Lætam surripit hora diem.
Nunc mihi da cytharam, Musarum munus, eburnam.
Suspensam coryli ramulus imus habet.
Quod superest: iuuenes post læti pocula Bacchi
Dicamus Paphio carmina grata deo.
Primus ego dicam vos dulci dulcia voce
Carmina concordes associate. fides.
Interea mi sparge rosas, violasq́ comantes:
Et myrti folijs tempora cinge puer.
NE mihi det vitio quisquam: quod grandior æuo,
Omnipotens ò Amor, nunc tua castra sequar.
Teius & vates, Eratus gratissima cura,
Delitiæ Veneris, gloria magna tui,
Tempore non vllo, quãuis caluusq́ senexq́,
Ferre tuo potuit libera colla iugo.

Om-

Omnia tu vincis. tu prima potentia rerum
Cogis amare homines: cogis amare feras:
Cogis amare deos etiam. Deoida raptam
Quid loquar; & nigri dulcia furta dei?
Tu veterem cogis Saturnum hinnire per altum
Pelion in Philyram: cornua ferre Iouem,
Et mugire iubes. nemo non denique sentit:
Quid ferus aurata cuspide possis Amor.
Ipse quidem semper tua quãuis obsitus annis.
O Amor omnipotens, dulcia castra sequar.
Nunc sua dicat Hylas, tum Statius, inde Philemon.
Ad dulcis cytharæ consona fila meæ.
Sparge rosas illis, violatasque canentibus: atque
Impone hæc deinceps myrtea serta puer.
Tunc puer ipse rosas sparsit: myrtoque nitentes
Impediit crines incipientis Hylæ.
Hylas. Cypri Iouis proles, tenerorum mater Amorum:
Quæ Cnidon, & Golgos, Idaliumque regis:
Quæque hominum genus, & pecudum, mutasque natantes,
Et magnos etiam cogis amare Deos:
Sancta veni: nostræque tuo flagrante flagello
Vincta gelu Pholoeos pectora tange precor:
Ne me sæua mori, sed mitis denique fructum
De se ferre aliquem, plenaque vota sinat.
Tunc Cytheræa tuos tali pro munere postes
Temporaque ornabo versicolore rosa.

Et statuam tali inscriptam mox carmine myrtum:
Quæ tibi sacratas excubet ante fores.
Gaudia de Pholoe quòd Hylas tulit vltima tandem:
Ille tibi hanc myrtum dedicat alma Venus.
Statuis. In gremio dum fortè suos tenet Antida amores:
Ebrius hæc multo fatur amore Paris.
Dulcem afflare animam, media inter et oscula, et inter
Deficere amplexus tu mea Vita cupis?
Mi potius, mi istuc veniat: quem impensius vrit
Dulcis Amor: dulcem vt sic quoq; mortem obeam.
Tu condes mea lumina languida, lumine cassa
Vitali: quorum lux mea lumen eras.
At frustra conamur vterque: optainus vterque.
Vitam hoc, non mortem est quærere pallidulam.
Phile. Pasithea libaris molli compressa sopore
Lumina, sic tenui murmure fatur Adon.
Iam lucem rubicunda refert Aurora nitentem.
Luminibus somnum Lux mea pelle tuis.
Lacteolos mihi pande sinus, & mollia crura.
Sic me brachiolis, sic age cinge tuis.
Confere labra labris: conditaq; oscula lingua,
O mea cum longa iunge columba mora.
Heu pereo effugiente anima: heu tota effugit in te.
O mi dulcis amor, excipe languidulam.
Et simul in dulci complexu deficit illa
Exanimis. roseo mox & ab ore tamen

Suspi-

Suspirans reuocat fugitiuam: & viuidus inquit:
O quàm dulce hoc est mea Vita, mori.
Vix ea desierat modulari ad plectra Philemon:
Cum citharam sumit, sertaq; iussus Acys:
Quippe opportunus qui paulò aduenerat ante:
Quàm sua desisset carmina cantor Hylas.
Dumq; puer spargit nimbum violæq; rosæq;
Ad numeros fidium talia & ille canit.
LVX nobis inuisa oritur: iam surgere tempus,
Diuelliq; tuo me Venerilla sinu.
Inuida quid properas roseis Tithonia bigis
Oceani clarum ducere ab amne diem?
Amplexus steriles gelidi si forte mariti,
Osculaq; incani si malè grata fugis:
Tu quoq; purpureum iuuenem tibi frigida quære:
Cuius dein possis fota calere sinu:
Ne posthac iunctos crudelis, & inuida amantes
Aduentu properes dissociare tuo.
Tu Venerilla vale, mea lux, mea gaudia: tuq;
Felix delitijs lectule sole meis.
Hæc illi deinceps iucunda carmina voce
Ad citharæ dulces tum cecinere modos.
Venerat huc Pholoe tunicam succincta nitentem,
Nixa pedem solea, tempora compta rosis:
Cùm cœpisset Acys sua carmina. deniq; victus
Multorum precibus, præcipueq; meis,

Cum pulchra Angephilus nympha ductare choream,
Plauderéq; alterno ter pede cœpit humum.
Brachia iactantem, & canum caput inflectentem,
Saltantemq; ò quàm dulce videre senem.
Vndenos Fulcus tangebat pollice neruos:
Ad quorum cecinit talia deinde modos.
SPECTO libens lætas iuuenisq;, senisq; choreas:
Præcipueq; senis spectat amantis amans.
Quippe senex gaudens cum pulchris sæpe puellis
Ad citharæ numeros arte mouere pedes:
Incanis, rarisq; senex est ille capillis:
At mente est iuuenis: sub tunicaq; viget.
Talia cum multo risu spectauimus omnes
Intenti: & pronis auribus ebibimus.
Tu quoq; post mundam audieris tam mollia cœnam:
Nec tamen hinc fiet vita pudica minus.
Absit nequities à nobis. intus, & extra
Castos esse decet, Varre, pios homines.
Tales pro casto post funera sera pudore
A iusto excipiunt præmia digna Deo.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Septimus.

SOLATIA INEVNTIS NOCTIS.

OCEANI interea vitreis prodibit ab vndis
Nox vario fuscum sidere compta caput.
Astra coronabunt purum fulgentia cælum:
Roriferosq́ reget luna bicornis equos.
Flammigero passim volitantes clune volucres
Captabit cupida turba pusilla manu:
Illustremq́ feret frontem stellantibus illis,
Nos spectare monens cerula picta poli.
Ergo serenantis stellatum noctis amictum
Cernemus, summi tot decora alta Patris.
Vt cingens æthram gelidos obliquet ad axes
Latè conspicuum lacteus orbis iter.
Quæremus, quæ causa viam signarit: an olim
Solis equi: astrorum densus an ordo magis:
An lac, quod vetuit natum Ioue iniqua nouerca
Protinus abductis sugere ab vberibus.
Dicemus, quinas cælum circundare Zonas:
Torpere extremas perpetua glacie:

O Assi-

Assiduo mediam torreri Solis ab æstu:
Temperieq́ frui semper vtrinque duas.
Dicemusq́, duo esse polos, vt celsus ab Arcto,
Imus ab opposito vertice nomen habet.
Hos circum septemgemini se machina mundi
Vt rotat: & dulces efficit vsque sonos:
Quos hebetes possunt comprendere nullius aures:
Sicut & ad Nili præcipitantis aquas,
Immensum nequeunt Catadupi audire fragorem:
Et Solem aduersum cernere nemo valet.
Sublime vt cælum assidua vertigine secum
Errantumq́ globos, astraq́ fixa rapit.
Sectus vt in variæ duodena animalia formæ
Signifer obliquo circuit orbe polum.
Percurruntq́ vagis illum vaga gressibus astra:
Sol æqua medium deterit vsque rota:
Semper & obluctans cæloq́, Euroq́ peragrat
Bissenis orbem mensibus ipse suum.
Vnde dies variant horas, noctesq́ vicissim:
Inq́ sui partes quattuor annus abit.
E gelidum vario pingit Ver prata colore.
Sole rubens Aestas spicea serta gerit.
Humidus aureolas Autumnus sufficit vuas,
Pomaq́. fert altas frigida Bruma niues.
Vt picturatis incinctæ vestibus Horæ,
Aureolæq́ comas, purpureæq́ genas,

Euno-

Eunomieq́, Diceq́, & terris grata, & Olympo
Irene; magno quas Ioue plena Themis
Edidit obliquas Mæandri errantis ad vndas:
Cælestes seruant nocte, dieq́ fores:
Ingentes, geminasq́ fores: quarum altera nubes
Immittit terris, altera ad astra refert.
Nanque aliæ bis denæ, & quattuor esse feruntur,
Noctes atque dies irrequieta cohors.
Harum bissenæ succinctæ vestibus albis
Sectantur claro tramite Solis equos:
Qui proferre rubro meditatur ab æquore Lucem:
Cum Nox Cæruleo mergit in amne rotas.
Et totidem pulla velatæ veste sequuntur
Distinctum vario sidere Noctis iter:
Quæ fuscum caput Eois tunc exerit vndis:
Cum nitidum Hesperijs Sol iubar abdit aquis.
Hinc apud eximium. Nox horis acta, poetam
A Phrygio dictum credimus esse duce.
Dicemus quoq; nunc spatiantes sub Ioue puro,
Nunc considentes sub platano, aut salice;
Vt bis sex peragrat terdenis signa diebus:
Conficit & cursus menstrua Luna suos.
Vt terris vicina, notho loca lumine lustrat:
Oraq́ non vnquam, quæ tulit ante, refert.
Quippe sequens fratrem minuit, fugiensq́ resarcit
Lumina: quæ lucis datq́, adimitq́ pater.

Nunc tenui cornu, media mox fronte refulget:
Explicat & totum postmodo plena caput:
Tergeminam unde Hecaten, tria virginis ora Dianæ:
Pagina ter magni docta Maronis habet.
Quidq́ silens moueat, referamus: quid rubicunda,
Quid nigra sub quartum, quidq́ retusa diem:
Scilicet aut turbaturos placida æquora ventos,
Aut segeti pluuias, arboribusq́ graues.
Quid crescens, quid decrescens, quid plena sagacem
Agricolam admoneat, quid noua, quidq́ vetus:
Nempe aut materiem vt cædat: virgulta per agros
Aut serat: aut vitem falce secante premat:
Vina ue diffundat: pinguem ue emasculet hædum:
Effætum ue fimo, & rudere opimet agrum:
Nunc ouibus lanam, segetem nunc demetat aruis:
Nunc bona molitæ semina mandet humo.
Vt ros tunc fortasse cadens Latoidos almæ
Dicitur, & puri filius esse Iouis.
Vnde & roriflua à Varrone, & roscida Luna
A præcellenti dicta Marone fuit.
Vt non re vera, sed verbo errantia cursus
Constanteis peragunt sidera, quæque suos
Saturni vt gelidi, graue sidus, Martius ignis
Horribilis, medij stella benigna Iouis.
Vt volucri celerat penna Cyllenius ales:
Aemulaq́ incedit Solis vt alma Venus:

No-

Nominaq́ alternat: decedens Hesperus Oeta,
Caeruleo inducit sidera fulua polo:
Exoriensq́ iugis frondosae Lucifer Idae,
Aurato niueum portat ab axe diem:
Agminaq́ astrorum fugientum lumina Solis,
Cogit: & excedit vix statione poli.
Vt, qui dicuntur gemini, septemq́ triones;
Nocte regunt dubias per maria ampla rates.
Atque vt in opposito demersi vertice caeli
Quattuor ingenti sidera luce micant:
Ignotosq́ docent illum per caerula cursus:
Trans noua qui varias aequora quaerit opes;
Hesperiò ve tuas extrema Themistita in orbe,
Surgere de salso tu quoque iussa lacu;
Australes ve tuas, fului faecunda metalli
Ammerice; Eoas vel Calicuta tuas.
Quo ruis ah demens? explebis sanguine diram
Cannibalum ingluuiem, saeuaq́ monstra maris.
Siste ratem. nec te credas fallacibus Austris.
Non tanti est aurum quaerere. siste ratem.
Ac potius te ruris opes, te florea tempe,
Flumina te molli margine tuta iuuent.
Addemus, cur plaustra piger versare Bootes:
Nesciaq́ Oceani Parrhasis Arctos eat.
Quâ niteat durus maesta cum coniuge Cepheus,
Et vincta immeritas Andromedea manus,

Pen-

Pennifer & Perseus: stricto qui fulminat ense:
Sectaq; prætendit Gorgonis ora manu.
Vt micet Erigonen iuxta, sæuumq; leonem
E Beroniceo vertice secta coma.
Quot radiet stellis ardentibus aurea Bacchi
Ex Ariadneis dempta corona comis.
Quot pluuias Hædi surgentes, atq; cadentes,
Hædorumq; parens ortu, obituq; ferat.
Quæq; pari emergant ortu, memorare licebit
Quæq; obitu cedant lucida signa pari.
Quot glomeret nimbos gauisus Arione Delphin.
Qua Nepa se mergens grandine tundat humum.
Quas oriens, quas pronus aquas immittat Orion:
Districto Orion horridus in gladio.
Quando Hyades densis effundant nubibus imbres,
Libraq; & Arcturos, Pleiadumq; chorus.
Ac tum forte aliquis dicet, conuersus ad ortum:
Aspicite. en rostrum regia tollit auis.
Atq; alius: Stella ecce polo delapsa sereno
Per tenues auras flammea fila trahit.
Illa volans aut Oceani condetur in vndis:
Aut cultum terræ decidet in gremium.
Et duo præterea cernes noua sidera cæli:
Pronus inocciduo quà nitet axe polus.
Tam liquidum, tam dulce micant: vt pulcher Eous
Liuida purpureis efferat ora vadis:

Hæc

Hæc (ni falsa putes, quæ prodidit alta vetustas:)
Lumina Callirhoes pulchra nitentis erant:
Lumina. quæ vrebant diuino dulciter igne,
Quiq; bibunt Rheni flumina, quiq; Padi.
Hæc magni Iouis imperio Thaumantias Iris
Erepta, heu, terris ad supera alta tulit.
Nanque olim Baccho lectus de more sacerdos
Corresus tota notus in Aemilia:
Callirhoes tanto flagrabat amore puellæ:
Aetnæus quantis ignibus ardet apex.
Sæpe illam blandis tentauit flectere verbis,
Quæq; mouent etiam numina muneribus.
Illa tamen semper miserum dilexit amantem:
Mitis vt immitem diligit agna lupum.
Ah quoties surdas iactauit talia ad aures
Immites apta voce mouere feras.
O mea Callirhoe ante omnes formosa puellas
Fida ô spes vitæ, solaq; vita meæ.
Huc ades. hæc nitidis distincta corallia baccis
Accipe, meq; ipsum. ne mea dona fuge.
Ne fuge crudelis. miserere ô deniq; nostri,
Luce mihi cara Lux mea cara magis.
Iam cogis me dura mori. molire triumphum.
At pœna hæc mulctat vindice facta Deus.
Talia dicentem semper despexit amantem
Callirhoe duro marmore dura magis.

De-

Despectus demum implorauit numina Bacchi.
Irrita nec fuerunt vota. precesq; viri.
Nam mox indigenas similis furor ebrietati
Incessit: miris excruciatq; modis.
Nullæ correptos artes; herbæq; iuuabant,
Siue tuæ Chiron, siue Cytæi tuæ.
In dubijs scitatum adeunt oracula rebus:
Spes alia afflictis nulla salutis erat.
Placandam referunt Bacchæi numinis iram
Sanguine Callirhoes, alterius ue anima:
Qui se Correso offerret pro virgine pulchra
Mactandum ante aras Bacche seuere tuas.
Multa gemens virgo, redimitaq; tempora vittis,
Ducitur. vt sacros corruat ante focos.
Hîc tum fidus amans se met pro virgine cara
Immolat: hîc anima tum litat ipse sua.
Te flerunt Correse omnes syluæq;, feræq;,
Miratæ insuetam magno in amore fidem.
Quin virgo feræ pietatis imagine victa,
In lacrymas flendo cœpit abire nouas.
Delicuit nitidum in fontem mox denique: qui nunc
Illius à pulchro nomine nomen habet.
Flenti, ne in latices simul irent, Iris ademit
Lumina sidereis æmula luminibus:
Aetheriasq; faces inter spectanda locauit:
Qua gyro vertit se breuiore polus.

Vt,

Vt fragili trabe qui sulcant freta cæca Diones:
Iis Helice dubijs, & Cynosura forent.
Cuncta quid hîc referam: quæ nos lustrare iuuabit
Tunc animo, atq; oculis per spatia ampla poli?
Cùm neq; caligans velabit sidera nubes:
Nec pleno vincet lumine Luna nitens.
O si aquilæ præpes nobis tum penna daretur,
Obnitensq́; tuis pupula Sol radijs.
Talia mirantes pleno laudabimus ore,
Qui verbo hoc totum condidit è nihilo:
Totq́; breuis vitæ errores, tot vera putantes
Aeternæ stabili cum requiete bona:
Hac Labyrinthea cupiemus valle relicta
Ocyus inferri sedibus ætherijs:
Insanosq́; ægro pellemus corde furores:
Viuemus reliquos & sine labe dies.
Omnibus ex æquo miseris mortalibus instat:
Inijcit & rapidas Mors inopina manus:
Et lucem, & bona fortunæ, & bona corporis aufert.
Sola manet Virtus: & benefacta beant.
Humida nox demum, labentiaq́; astra iubebunt,
Fessa soporifero membra leuare toro.
Hîc bonus Angephilum solabitur irrequietum
Fulcus: dum noctis cuncta silentis erunt.
Nam, quamuis nouies septenos impleat annos:
Iamq́; gerat multa tempora operta niue:

Ille tamen teneræ fulgentia deperit ora,
Angitur &. longa duritia dominæ.
Ille sui solus nuper loca conscia amoris
Lustrabat: qualis lustrat ouile lupus:
Si qua forte suos deprendere posset amores:
Mollire &. blanda pectora dura prece.
Iam concedebat nostro Sol aureus orbe:
Mergereq; Oceani se properabat aquis:
Cum vestiganti loca cuncta sagaciter, ecce
Occurrit rediens sola puella domum.
Erui fiscellam gestabat vertice. perq;
Claternæ ripas accelerabat iter.
Tunc ego post sepem cum Fulco forte latebam:
Quà densa irriguis imminet ornus aquis.
Vidimus hunc illam cursu titubante sequentem:
Quæ celeri ad salices se pede proripuit.
Tum procumbentem ripæ decliuis in herba
Audijmus tales ore referre sonos.
Hei mihi quid sperem? quid vitam hanc amplius optē
Si sic à vita torqueor ipse mea?
Cur ah crudelis, cur aspernaris amantem?
Cur tam veloci me pede sæua fugis?
Quem tu blanda tuum dicebas nuper ocellum:
Qui te plus vita diligit ipse sua.
Quid feci, aut dixi? cur me, mea Pieri vita,
Non cesses tanta perdere sæuitia?

Cur

Cur tibi displiceo tantum? an quòd non ita diues
Hac trita semper corpora veste tego?
Ast ego deducor magnorum ab origine regum.
Si nescis: clarus stirpe Mathildi seo.
Idem ego sum bonus orator, meliorq́ poeta:
Et gemina lauru tempora vincta gero.
An quòd fortè tibi videor turpisq́, senexq́?
Nec cantare bonus, qualia Apollo canit?
At mihi non adeò videor turpisq́, senexq́:
Me quoties claro conspicor in speculo.
Est mihi longa quidem, argentoq́ simillima barba:
Integit & tremulum cana pruina caput.
At facies veneranda rubet: nasusq́ superbit:
Quæq́ latent, multum membra vigoris habent.
Et me cantantem nuper laudare solebas.
Iure quidem. dulci carmina voce cano:
Qualia cantat olor moribundus, qualia Phœnix,
Qualia populeis Daulias in folijs.
Nonne mihi victus cantando cessit Amurca?
Qui sibi crediderat non reperire parem?
Ille mihi cessit: velut anser cedit olori,
Luscinia vt bubo, gracculus vt merulæ.
Nec mirum. ille mouens latos in carmina rictus,
Raucus anhelanti dissona ab ore dabat.
Talis cornicum solet esse, gruumq́ volantum
Dispersus nebulis clamor in aerijs.

Nec verò has stolidus lites dirimebat asellus,
Aut auro nimium diues, & aure Midas.
Sed iudex sedit, iuratus numina diuûm
Vir bonus, & vates doctus Aristagoras.
Demens, qui mecum est ausus contendere versu.
Nunc se non vllum iactet habere parem.
Nunc alios nihili faciat: vocitetq́ cucullos,
Ille ingens nebulo, centimanusq́ Gyas.
Cantando quoq; me doctum superasse Bionem,
Testis Mænalio gratus Agyrta deo.
Ille canebat Hylen Calamuscida: quæq́ sub antro
Illa sibi pulchro munere victa dedit.
Ipse tuos oculos, mea sydera, ad astra ferebam,
Auricomumq́ caput, purpureosq́ sinus.
O si tu quoque des mihi. tunc me deniq; nullus,
Ne tuus ille quidem carmine vincat amans.
Iamq́ age nunc ille hîc mecum te iudice certet.
Illum non equidem iudice te metuam.
Ne me sperne igitur: ne me fuge, Pieri pulchra:
Nec surdas aures aspidis instar habe.
Nam quid ego aut feci, aut dixi tibi? ni mea forte
Est suspecta tibi nostro in amore fides:
Quòd nuper medio prostantem in fornice Prillam
Et prendi, & petij. non tamen illa dedit:
Vrereq́ Hippolytum poterat, labrisq́ petulcis,
Argutisq́ oculis, lacteoloq́ sinu.

Nec

Nec ceruſſatas malas fucauerat oſtro:
Sed calamiſtratam compſerat arte comam.
Baſiolum rapui tantùm. nihil amplius. atqui
Non digna eſt tantis res inimicitijs.
O quàm nunc facti illius me pœnitet. ò quàm
Nunc fœmella oculis diſplicet illa meis.
Nec Pholoe mihi pulchra placet. licet illa placere
Me ſibi, purpureas fletibus vda genas
Dicat ſæpe ſequens: furtiuaq́ munera portet.
Quæ tamen vnde tulit, mæſta referre ſolet.
Tu mihi ſola places. Veneris ſanctiſsima iuro
Numina. quid quæris? tu mihi ſola Venus:
Ex quo te vidi, & perij genitoris in horto:
Et tetigi. ſed quid cætera? nota tibi.
Hæc mihi ſemper eris: dum ſpiritus hos reget artus:
Et fortunatæ dum colet arua plagæ,
Quare agè iam mihi parce meæ ſpes vnica vitæ:
Iam tua luminibus lumina redde meis.
Non procul hinc antrum eſt. vmbratur ab ilice denſa
Veſtibulum. quid dicam, intus vt omne viret?
Vt ſuauè fragrat? mecum huc ſecede parumper:
Dum medijs Titan æſtibus vrit agros.
Hîc mihi (ne dubita) ſat erit, mea ſola voluptas,
Paſcere ſideribus lumina noſtra tuis:
Et noſtri ingentes animi tibi dicere curas:
Quæq́ diu triſti condita mente fero.

Hîc

Hîc etiam tibi sæpe mei diuina Petrarchæ
Ad citharæ cantum carmina dulce canam.
Quæq; olim didici iuuenis, te arcana docebo
Sensa Aganippæis cognita virginibus.
Quin vni dabo bina tibi cum passere poma:
Nuper & in laudes carmina facta tuas.
Qualibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis:
Qualis pulchra tuus Lesbia passer erat.
Carmina dictarunt Musæ: Idalioq; liquore
Tinxerunt Charites: edidicitq; Venus:
Inq; suis hortis sub molli concinit vmbra.
Cantanti arrectis auribus astat Amor.
Cuspideq; aurata, quod & vnà crescit in horas:
Mille tuum nomen scribit in arboribus.
Huc ades, ò mihi cara magis mea Pieri vita.
Ardeo: & in cineres, hei mihi, totus eo.
Culpa tua hoc Amor est. Amor ò sæuissime, nostra
Tu iaculo figis: tu face corda cremas:
Gaudia tu curis misces: tu tristia lætis:
Tu veteres etiam cogis amare senes.
Nec mihi parcis enim: dominamq; imponis, inique:
Ah me quæ nimio gaudet amore mori,
Nonne vides? morior, crudelis Pieri, per te
Me perijsse, quid ah, quid tibi laudis erit?
Sed quid tot lacrymas demens, tot verba profundo?
Nec tamen ingenti corda dolore leuo?

Vos

Vos ò, vos lymphæ, nitidis quæ fontibus ortæ
Picta per arguto curritis arua pede:
Vosq́ leues auræ, strepitis quæ murmure rauco:
Vos hæc ad Dominam dicta referte meam.
Quin surgam potius: fugientemq́ impiger illam
Ipse per hæc semper deuia rura sequar.
Audiet illa meas forsan miserata querelas.
Non silice est dura, non tumido orta freto.
Talia tunc, nobis multum ridentibus, ipse
Canus Amans vdo fletibus ore dabat.
Postera lux aderat. tristis nos conuenit: atq;
Hæc à se dudum carmina facta legit.
IAM *Luna, & Pliades subierunt Doridos vndas:*
Iam Nox præcipitat. solus at ipse cubo:
Peruigiloq́ miser. somne ò placidissime rerum,
Languida iam dulci membra quiete leua.
OCEANO *iam suauè rubens Aurora redibat:*
Præuius & nitido Lucifer ibat equo.
Cum fessos tandem pressit mihi somnus ocellos:
Continuoq́ tulit somnia grata nimis.
Mollia Pieridis complecti membra videbar:
Dulciaq́ è roseis sugere mella labris:
Atq́ inter Veneris dulcissima gaudia tandem
Deficere in molli, ambrosioq́ sinu.
O quantum, quantum vigilanti vera placerent
Gaudia: si falsa hæc tam placuere mihi.

Tu

Tu tamen ò vitæ potius fraterq́, parensq́
Talia sæpe mihi somnia Somne refer.
Iamq́ adeò æternam in noctem mea lumina claude:
Si dormire magis, quàm vigilare, iuuat.
Hunc Fulcus solabitur officiosus. at ægro
Rara quiescendi tempora præbet Amor.
Nos requiescemus: donec iam cœperit almum
Orta pudoricolor Diua referre diem.
Hæc te Varre manent solatia multa: diei
Quæ tibi (si venias) qualibet hora ferat.
Nunc æstiua forent, atq; autumnalia nobis
Percurrenda: sed, hæc Pan satis, inquit, erunt.
Parendum est Diuis. quare fumantia equorum
Iam nunc est tempus soluere colla iugo.
Posterius forsan tendemus persequi & illa:
Si tu non. sed enim, tu precor, ante veni.
Dulcia te expectant rura: expectamus amici.
Te tuus expectat candida Chloris amor.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Octauus.

SOLATIA AESTIVA.

NVNC, ò Pan, quoniam rursus consedimus ambo
Has inter pinus ad leue murmur aquæ:
Cur non tu calamos inflas, ego carmina dico?
Carmina vel duros sæpe mouent silices.
Iam rapido curru Phœbus vicinior Arcto
Aestiferi Cancri limina celsa terit:
Et nostras tu Varre preces, formosaq; rura
Spernis adhuc, scopulis surdior Icarijs?
Huc ades ò tandem, cur ah, cur lentè moraris?
Nunc quoque te ruris commoda multa manent.
Nam cum sub medijs vibrat feruoribus alas:
Stridentesq; ciet rauca cicada sonos:
Graminis & pasti pallentem ruminat escam,
Sub densis recubans quercubus omne pecus:
Nos leni passu vicina subibimus antra,
Intus muscosis obsita pumicibus.
Lentisci virides substructa sedilia tophis,
Limina serpillum vestit odoriferum.

Flexipedes hederæ circùm patula ostia serpunt:
Ostentatq́ nouas bacchica vitis opes.
Frigidior glacie, puroq́ simillima vitro
E lapide in plenum prosilit vnda labrum.
Hinc effusa fugit trepidans per leuia saxa
Murmure iucundo, pictaq́ culta rigat.
Nec procul hinc laurus, lauroq́ intersita Myrtus,
Illa tibi Pæan, hæc tibi grata Venus,
Iuniperusq́ hirsuta comas, & Citrus odora,
Vmbrosum intexunt crine virente nemus.
Sacra Ioui Quercus, Cyparissus amica Dianæ,
Et pinus Panos cingere sueta caput,
Et Platanus genialis, et obsita glandibus Ilex
Stant simul, & varijs Populus alba comis.
Per varios volitant ramos: densisq́ sub vmbris
Innumeræ dulci voce queruntur aues.
In primis vim passa trucis Philomela Tyranni
Et soror infidi coniugis vlta nefas,
Turmatimq́ volans Paßer, Meruleq́ Meropsq́,
Turdus & addictus Daphnidis aucupio,
Et castus Turtur, Caßitaq́, pictaq́ Acanthis,
Dulcia quæque sua carmina voce sonant.
Iucundi spirant Aquilonis Etesia flabra:
Et frondes inter murmura blanda cient:
Afflatuq́ leui colludunt floribus almis:
Picta quibus circùm dulcè renidet humus.

Pur-

Purpureis à floribus, & viridantibus herbis,
Atq; à commotis leniter arboribus
Aspirans ventus varios prædatur odores.
Ex his conflatur dulcis et almus odor.
Qui longè in liquidas passim diffunditur auras:
Permulcetq; animam, lætaq; corda facit.
Hoc antrũ, hæc vnda, (vt perhibẽt) hic lucus, et vmbra
Hæc dulcis nemorum frigerat aura deas:
Cùm medijs rapidi solis feruoribus icta,
Cædeq; damarum Cynthia fessa redit.
Hîc quoq; montiuago fessus Pan sæpe labore,
Aurea cum roseus sydera Vesper agit:
Dulcia disparibus modulatur carmina cannis:
Exercetq; leues cum Satyris choreas.
Hîc faciles nobis suadebunt corpore somnos
Frigidulæq; vmbræ, leneq; murmur aquæ.
Suaue & erit nobis gelidum quandoque liquorem
Lucenti panda sumere ab amne manu.
O quàm dulce cauis potum sibi sumere palmis:
Cum siccat fauces sole calente sitis.
Expertus facilè hoc credat, seu fœmina, seu vir.
Hoc (mihi crede) nihil dulcius esse potest.
Quin etiam Musis paulum indulgere iuuabit:
Atque æstum Græcis fallere carminibus.
Ipse legam causas immissæ ab Apolline pestis:
Et geminos inter iurgia dicta duces:

Et Diuæ admonitus: carumq́ à rege superbo
Ereptum munus magnanimo Aeacidæ:
Quid nato Thetis exoret: quid Iuno queratur:
Atridæ à magno somnia missa Ioue:
Verba senis Pylij, reditumq́ inhibentis Vlyßi:
Quæ legio hinc illinc quemq́ secuta ducem:
Quos Argiuorum proceres, à turribus altis
Enarret socero pulchra Lacæna suo.
Congressosq́ ipsa geminos pro coniuge amantes:
Post ictum fœdus: fœdifragumq́ Phrygem.
Figentem arcu te Menelae: atq; horrida fratrem
Hortantem armatos prælia inire duces.
Pugnantesq́ vtrinq; acies: diuosq́ fauentes
Partibus: & teneram Cypris vt icta manum.
Seruatusq́ Anchisiades. quot stragis aceruos
Pallade Tydides auxiliante dedit:
Congressumq́ huius, Glauciq;: & mutua dona:
Illatumq́ tibi Pallas iniqua peplum:
Et flentem Andromachen: & caßidis æra timentem,
Horrentesq́ iubas Astyanacta patris.
Hectora congressum Aiaci, &, post fata Phrygumq́,
Graiûmq́ auratis lancibus imposita.
Hostibus instantem fugientibus, atq; minantem
Vallatis dirum nauibus exitium.
Hæc tunc ipse legam: vel inexorabilem Achillem:
Flectere quem validæ nil potuere preces.

Exceptumq́ Dolonem addam: Rhesumq́ peremptum,
Dum iacet: auersos regis & huius equos.
Vt fatis Danaûm inclinatis ab Ioue magno,
Is deus, imperio qui regit æquor, adest.
Dum vario Veneris cæsto sibi pectora cingit,
Sopitumq́ fouet Iuno dolosa Iouem.
Sustinet vt Telamoniades Troasq́ Iouemq́:
Et socias Teucro seruat ab igne rates:
Vel potius legam, vt Actorides Sarpedone cæso
Sub falsis armis cæsus & ipse cadit,
Et socij exuuijs spoliatur ab Hectore forti:
Dum Panthi proles sanguine tingit humum:
Fœdat & insignes argento, auroq́ capillos:
Olim Pythagoras ille futurus erat:
Vtq́ Menætiade pro corpore lumine casso
Vi multa procerum certat vtrinque manus.
Vtq́ Thetis luctum nati solatur acerbum:
Quæq́ illi excudit tardipes arma deus.
Vtq́ ira tandem posita, donisq́ receptis
Dat letho Aeacides millia multa Phrygum.
Fluuiorumq́ angustat iter: ferroq́ peremptum
Hectora ter circûm Pergama raptat equis:
Quem contra Aeneas primus stare ausus: & atra
Neptuno ereptus nube repente fuit.
Addam cuncta nouo belli tremefacta tumultu:
Bellaq́ pugnantes horrida vtrinque deos:

Et

Et funus Patrocle tuum, & ludos tibi factos.
Quantaq́ in Hectoreo corpore cura deûm.
Proq́ ipso donis redimendo corpore patrem
Porrectum ante tuos hostis amarè pedes:
Tristiaq́ Iliadum lamenta: atq; ossa sepulchro
Condita. nos ergo, dum grauis æstus erit:
Peliden sæuum Atridæ, Priamoq́ legemus:
Errantem ve Ithacum dorsa per ampla maris.
Scilicet vt, pôstquam Sigæo à littore victor
Soluit: & ad fines appulit Ismarios:
Infestos repulit Ciconas præstantibus armis:
Dulcibus abstinuit Lotophagumq́ cibis.
Vt vasto immitis Polyphemi euasit ab antro:
Seq́ feri Antiphatæ faucibus eripuit.
Impune vt bibit insidiosæ pocula Circes:
In varias homines vertere docta feras.
Cimmericon oras vt adiuit sole carentes.
Vt subijt stygij pallida regna Iouis.
Sirenum cantus impune audiuit vt ipse:
Præterijtq́ cita littora blanda rate.
Vt Scyllæ euicit rabiem, vastamq́ Charybdim:
Quæ ter luce vomit, terq́ resorbet aquas.
Quæq́ armenta patri Phaethusaq́, Lampetieq́
Pascebant: illis solus vt abstinuit.
Submersisq́ ideo vt socijs, & naue per vndas
Enauit solus littora ad Ogygiæ.

Pro-

Promissa ut pulchræ despexit blanda Calypsûs:
Naufragus iratis seq; recepit aquis,
Nudata Inois præcinctus tempora vittis,
Ad Corcyræos hospitio faciles.
Vt caræ patriæ tandem peruenit ad oras:
Sub vili latuit hîc ubi veste diu:
Ae demum tentoq; arcu, certaq; sagitta
Innumeros unus perculit ipse procos.
Hos percurremus sub opaco frigore casus.
Ducet nos facili Graia Thalia. manu.
Ac nisi tu malis ruris præcepta colendi,
Quæ dedit Ascræo Musa benigna seni:
Tunc relegam potius, quæ lusit ad Acidis amnem
Argutis Siculus pastor arundinibus.
Ante alios placet ille mihi. nil cultius illo est.
Non fert tam dulces Trinacris Hybla fauos.
Hîc musam pastorum audire iuuabit, & ignes
Et studia: heroum funera, facta, toros.
Hîc venator erit, piscator, nauita, & auceps,
Miles, eques, pastor, messor, & agricola.
Materia tam multiplici formare poesim,
Vatis opus summi est, eximiùmq; decus.
Sæpe etiam Angephilus, noster risusq;, iocusq;,
Nobis Petrarchæ carmina culta canet:
Mysticaq; ingenti recludet sensa labore:
Illi quæ primò scire Thalia dedit.

Cum

Cum viridi errantem in ripa Permesidos unda
Deduxit fida roscida in antra manu.
Cuncta reuelauit (de se si creditur) illi:
Et gemino lauri cinxit honore caput.
Cumq́ reuelasset: Mysteria diuulgato
Hæc nunquam, dixit: sed tibi semper habe.
Prodidit ille suo primùm tamen omnia patri:
Qui tibi erat magnum Piscia parua decus.
Testes vos olim syluæ, vallesq́ beatæ:
Quas pulcher liquidis Piscia findit aquis.
Vos illum sæpe obstupuistis mira canentem:
Ceu vatem obstupuit Sicelis ora suum.
Primùm ergo hæc patri: deinde inculcare laborat
Multis ridiculus, putidulusq́ viris.
His fessus nuper Fulcus patula aure bibendis,
Subridens geminas tollit ad astra manus:
Atque ait: ò dij magni quàm pulchrè, bene, doctè.
Mi pater hæc dulci nunc modulare sono.
Continuò egregius cantor diuina Petrarchæ
Inflexa modulans carmina voce canit.
Inde capit citharam, plectroq́ vbi mollia fila
Contigit: hos læto reddidit ore sonos.
Hanc ebore insignem Citharam, atq; hæc aurea plectra:
Quæ Mithylenæo carmine digna sonant:
Aonio posuit vates Andæus in antro:
Vt cecinit syluas, ruraq́, & arma virûm.

Ex

Ex illo tulit hæc nullus. mihi plectra merenti
Cum cithara demum pulchra Thalia dedit.
Tu nunc, inquit, habe tibi dona hæc alter ab illo.
His olim dicas & rosea ora senex,
Et nitidos teneræ crines, oculosq; puellæ:
Quidq; arcu poßit, quid face sæuus Amor
Dixit Musa: deditq; nouo noua munera Vati.
Inuidit misere stultus Amurca mihi.
Huius nunc citharæ ad cantum noua carmina dicam;
Quæ mihi poscenti Teia Musa dedit.
Semper amare volo teneræ niuea ora puellæ:
Quamuis longæuus semper amare volo.
Sæpe iubebat Amor, vt amarem: ego durus, & amens
Spernebam parui mollia iussa Dei.
Ergo mox arcum sumit, grauidamq; pharetram:
Et me pugnatum prouocat acer Amor
Protinus accingor lorica ex ære, vt Achilles:
Cristataq; premo caßide canitiem:
Corripioq; hastam dextra, scutumq; sinistra:
Cumq; illo impauidus prælia dura gero.
Auratas in me frustra iacit ille sagittas.
Ipse nec indecori præbeo terga fuga:
Exhausta demum pharetra, fremit: vtq; sagittam,
Se iacit: & penetrans intima corda subit.
Ex illo mihi dulcis amor in pectore sæuit.
Pierida ex illo semper amabo meam.

Seu me fata locent calido sub sydere Cancri:
Hîc vbi non vllo germine terra viret:
Seu ponant, rapido quà fertur Vistula cursu:
Et riget Arctoo Sarmatis ora gelu.
Semper amabo libens. quamuis ingrata superbis
Perdere me pergas fastibus ipsa tuis.
Nam modò quid tecum faciebat Phœbus in antro?
Credimus. at qui amant, multa timere solent.
Hæc fat erit, iuuenes, hoc me cecinisse sub antro.
Tum blanda Fulcus talia voce refert.
O quàm dulce canis. nil dulcius. hoc tuo in ore
Taurigenas volucres mellificasse reor:
Lusciniamq. tuis etiam insedisse labellis:
Quippe mele cuius dulcia voce refers.
Sibila ne Zephyri dicam, piniq susurros,
Murmur & ex alta rupe cadentis aquæ.
Vix me contineo, quin surgam protinus: & dem
Iis tam dulciloquis oscula mille labris.
Nil ego iam miror: si nunc sua forsitan ardet
Labra tuis Pholoe conseruisse labris.
Nil quoq; iam miror: si te tam dulce canentem
Pieris arrectis audijt auriculis.
Nam quod ais, solam curuis latuisse sub antris
Cum Phœbo, & Pholoen id retulisse tibi:
Aut hoc est falsum: aut illam fortasse docebat
Phœbus plectra mouens arte mouere latus.

At te dura fugit. quî scis, an fingat? & intus
Concipiat cæcas in tua vota faces?
Ne dubita. semper sperandum est. perfer, & aude.
Plerunq; audentes forsq; Venusq; iuuant.
Non fugiet semper. se forsitan offeret vltro;
Osculaq; ambrosio murice fœta dabit.
Non Appeninus duris in cautibus illam
Edidit: immites non aluere feræ.
Sæpe puellarum potuerunt perditi amantes
Obsequio longo flectere duritiem.
Est anus: ex alto quæ ducit carmine Lunam:
Sistit aquas: manes euocat è tumulis:
Humanosq; animos versat. durasq; puellas,
Et duros etiam cogit amare viros:
Illi Cimmeria est nomen: quòd adire putatur
Cimmerios hirco præpete vecta lacus.
Leucippe Alconem spernens fugiebat amantem:
Immitem pauitans vt fugit agna lupum.
Illius hæc mentem, si nescis, carmine Marso,
Siue Cytæino gramine vertit anus.
Inter eos talem iam conciliauit amorem:
Vt teneat parilis corda vtriusque calor.
Vocibus hæc magicis, & cerea imagine, & herbis,
Quas diffusa comas nocte silente legit:
Pieridis gelidum poterit succedere pectus:
Semper vt vnius flagret amore tui:

Fomes vt admoto, & nigrum flagrat igne bitumen,
Vt stipulæ arentes, vtq; Vesæuus apex.
Ante tamen his, terq; ipsi submitte puellæ
Cum donis vetulam, litterulisq; Bicen,
Aut Rufam: quæ ferre solet venalia in urbem.
Quippe sagax illa est fœmina nulla magis.
Gutta frequens durum pertundit denique saxum.
Molliet & Dominam callida lena tuam.
Talibus & laudat sæpe: & solatur amantem
Fulcus melliti viribus alloquij.
Suaue erit interdum, rapidus cum suaserit æstus:
Nos quoque in egelidis mergere fluminibus:
Aut potius stantes in opaca cernere ripa;
Gurgite vt in vitreo rustica turba natet.
Desilit ima petens: subterq; illapsa moratur:
Mox effert summis lubrica membra vadis.
In pectus nunc erigitur: nunc brachia tollit.
Alterna: & pulsat terga gementis aquæ:
Nunc fluuio paulum fertur resupina secundo:
Nunc prono aduersas pectore findit aquas:
Adductosq; pedes, adductaq; brachia iactat:
Peruolat & liquidas, ceu ratis vncta, vias.
Hîc celeri nuper certarunt fortè natatu
Laurens, & Lycidas, hic puer, ille senex.
Nudatos artus oleo de more peruncti,
Se mittunt iactu flumina in alta pari.

Et

Et lutris similes pariter per summa feruntur
Remigio manuum, remigioq́ pedum.
Talis Abydenus iuuenis freta cæca natabat,
Amplexus repetens Sesta puella tuos.
Talis, dum Melitem sequitur, flauamq́ Arethusam:
Cærula peruolitat marmora Glaucus amans.
En puer ante senem Lycidas elabitur: omnes
Dant plausum. Laurens instat at ipse tamen:
Spumeaq́ excussis præpes secat arua lacertis:
Concipit & tales (nam propè meta) preces:
O mihi Naiades adsitis, ò mihi Triton
Affer opem: si te carmine sæpe meo,
Cymothoenq́ tuam memoraui. munere vestro
Victor ego huc vobis munera grata feram.
Talia dicentem Nymphæ audiuere sub vndis:
Impulit in primis Cymodocea manu.
Impulit & rapidus Triton: si credimus illi:
Qui per spumantes ter reuolutus aquas;
Præterit adnantem ternis conatibus: & iam
Metam contingens exilit amne prior.
Carbaseo victor Laurens donatur amictu.
Ipse puer iaculi munere lætus abit.
Cernere mox erit, vt densas succidat aristas
Messorum longo plurima turba die,
Induta albentem tunicam, albentiq́ galero,
Intorta ve vlmi fronde reuincta caput.

Aam

Nam cum maturas ſegetes Caßita relinquet:
Transferet & natos in loca tuta magis:
Illi continuò immißi flauentibus aruis
Triticeam ſegetem falce ſecante metent.
Tyrrhides tamen ante, ſuos quàm ducat in arua:
Templa petens tales edet ab ore preces.
Omnipotens DEVS *ex nihilo qui cuncta creaſti:*
Aeternoq́ regis cuncta ſupercilio:
Si tibi non parcè poſt ſemina credita ſulcis
Agreſtis pubes annua ſacra tulit:
Nunc face, vt optatas ingenti fænore fruges
Suppoſita reddat falce metenda ceres.
Tunc adolebo tibi ſpicis flauentibus aras:
Et faciet grauida purus Acerra ſue.
Talia præfatus meſſores ordine ducet.
Denſa ſeges latè ſecta iacebit humi.
Sic pulchræ Auſoniæ cultis proſtrauit in aruis
Enſe ferox Pœnus millia multa virûm.
Sic ferus Aeacides altis ſub mœnibus Ilij
Innumerûm ſtrauit corpora Troiugenûm:
Cum Phrygio Teucros vndaret ſanguine campos:
Et tumidi latum clauderet amnis iter.
Sic Italæ robur gentis Mauortia pubes,
Quam pia Romanus miſit ad arma Pater:
Impia Gallorum proſtrauit corpora ferro,
Et Germanorum: quà Liger arua ſecat.

Qua-

Quales falcato prosternunt vngue Leones
Armenta, & sparsos per Lybica arua greges.
Camposq́, fluuiosq́ cadauera densa tegebant.
Quippe erat à recta relligione DEVS.
Quò me Pan ducis? dicent felicius ista
Mæonijs numeris Gambara, & Angelius:
Frizoliusq́ meus Dircæi pectine vatis:
Et tu Tyrrhena Tasse sonore tuba:
Tuq́ Lyra Sylui numerosa: tuq́ BONOMI
Docte tuis numeris, tuq́ RENERE *tuis*
Vosq́ alij: quibus ipse fauens aspirat Apollo.
Non decet exiguis ludere magna modis.
Nos ad messores redeamus. fortiter ergo
Hi flauæ Cereris munera densa metent.
Interea viridi cantabit in ilicis vmbra
Talia cum tenero Thyrside flaua Melis.
STELLANTI *demissa polo pulcherrima Chloris,*
Chloris Nympharum, ruris & omne decus:
Pulchra tibi cedat cum pulchra Amaryllide Phyllis,
Nisaq́, & aureolas compta Lycinna comas.
Parcite messores: quicunq; ardetis amore
Istarum: hæc vobis dulcior ignis erit.
Cernite sydereis vt certant lumina flammis:
Vt nitidis cedunt aurea fila comis:
Vt referunt teneræq́ genæ, tumidæq́ papillæ
Candida, quæ roseo mala colore nitent.

Quàm

Quàm spectare iuuat ridentia dulciter ora:
Labraq́ puniceis æmula Coralijs:
Atq; illas teretes suras, teretesq́ lacertos:
Quæq́ instar puri pectora lactis habent.
Quid, quòd dulce canit? quòd humum pede pellere do-(cta est
Alterno, & calathos texere vimineos:
Quantum flauentes spicæ noua gramina, quantum
Purpureæ vincunt alba ligustra rosæ:
Tantum iudicibus nobis, quin iudice Fauno
Aequales vincis candida Chlori tuas.
Ter felix, quem pulchra tuo dignaris amore:
Sed quòd abest longùm, ferreus ille tamen:
Hæc tibi Varre parant. tu, ne sis ferreus ille,
Vrbem linque precor: cultaq́ rura pete:
Tunc tibi dissimili Melisæus, & Aegla sub vlmo,
Sed non discordi talia voce canent.
ORDINE *Messores incedite. fortis Amynta,*
Parce tibi: ante alios ne properes adeò.
Vos alij potius properate. ah tu vltimus Idmon?
At, quæ hæret lateri: culpa puella tua est.
Pergite flauentes ferro prosternere culmos:
Fessa licet Phœbus corpora, & arua coquat.
Pergite. iam vobis densæ Phaëthontides æstum,
Mollia iam poterunt vina leuare sitim.
Tu dulcem, tu Chlori parum secede sub vmbram.
Nonne vides, sudant vt rosea ora tibi?

Viq; manus lassæ vix possunt stringere messem?
Illic iandudum te tuus ardet amor.
Fortunate, venit tandem tibi Varre puella:
Quæ te luminibus plus amat ipsa suis.
At tu torrenti maneas sub Sole Neæra:
Istic iucundus te tuus ignis habet.
Talia cantanbunt tibi tunc Melisæus & Aegla;
Cumq; suo dulci Thyrside pulchra Melis.
Succidet Cererem rubicundam cætera pubes:
Thestylis at rubras solibus vsta genas,
Virgato cepas, & adorea liba canistro
Ardenti fessis grata labore feret.
Illi, qua bicolor salientibus imminet vndis
Populus Herculeas cingere sueta comas:
Sub platano vmbrifera, nigraue sub ilice fusi,
Purpurei ducent pocula crebra meri.
Potabunt. nec finis erit potantibus illis:
Donec sufficiat dulcia vina cadus.
Torta & auena omnes religabunt deinde maniplos:
Et cogent certis tonsa per arua locis.
Huc inopes aderunt natorum cum grege matres
Elapsas spicas & sibi quæq; legent.
Interea cumuli, fuerint qua parte recisi:
Ad Boreæ aspicient limina, vel Zephyri.
Sic auido agricolæ pinguescet spicea messis:
Quam sub tuta breui stridula plaustra vehent.

Nanq; alia ut mittam non parua hîc damna referre:
Queis bonus afficitur rustici inertis ager:
Sæpe sub optatam messem violentior Auster
Surgit: & horrenti perstrepit arua sono:
Flamineq; ardenti tostas ita vexat aristas:
Excussis granis sternat ut omne solum.
Sæpe etiam densæ coeunt per inania nubes:
Obducuntq; atra nocte repente polum.
Turpinibus rapidis terras, & cærula perflant
Hinc Aquilo incumbens, imbrifer inde Notus:
Puluerea assurgit nubes: glomerataq; fertur
Arua per, & multo per loca trita pede,
Torquentur pulsæ ingenti cum murmure syluæ:
Horrendumq; fremunt concita stagna maris:
Fulgura per nubes abruptas crebra coruscant.
Percurrunt magnum murmura magna polum.
Delapsa infringunt annosas fulmina quercus:
Terribili plaga territa terra tremit.
Maturæ segetis strages ruit improba grando
Protinus. immensum corruit agmen aquæ:
Vt cælum omne putes in largos soluier imbres.
Iam fossæ implentur. iam natat omnis ager.
Iamq; adeò euincunt humiles torrentia ripas
Cum sonitu summis flumina lapsa iugis.
Suspirat sub rupe latens sua damna colonus:
Iamq; timet duram corde tremente famem.

Præ-

Præmetuens miser ille famem natisq́, sibiq́,
Procumbit positis suppliciter genibus.
Rorantesq́ oculos, & brachia ad æthera tendens
Aduocat haud faciles in sua vota deos.
Impiger esto igitur semper. rex ætheris alti
Non segnes larga sæpius auget ope.
In primis, siquidem facientes adiuuat ille:
Assiduas puro concipe corde preces:
Assidueq́ operare Deo sine crimine. sed cur
Non redeo nostros denique ad agricolas.
Tyrrhides post messem adiens de more sacellum,
Has positis genibus fundet ab ore preces.
QVOD messis nos non vanis elusit aristis:
Creditaq́ vberius reddidit alma seges:
Summe Pater cæliq́ potens, terræq́, marisq́,
Hoc munus totum est vnius alme tui.
Te solum Natura parens, ac terra parentem
Norunt. tu solus cuncta creator alis.
Aeris, & pelagi, variæq́ animalia terræ,
Præbens non parca cuiq; alimenta manu.
Iure igitur magnas agimus tibi Maxime grates:
Et voti memores munera parua damus.
His te nos flauis humiles veneramur aristis:
Et grauida hæc sanctos sus cadet ante focos.
Suscipe parua libens dona hæc: Natiq́ redemptos
Sanguine nos placidus respice summe Pater.

His ille & precibus, & votis rite peractis.
Cum socijs referet protinus inde pedes.
Tunc indulgebunt genio. mox acrius omnes,
Torrenti sub sole aggredientur opus.
Nanq; vbi congestas acceperit area messes,
Ante & aqua, & sparso consolidata acere:
Cornipedum choreæ Cerealia dona citatæ,
Aut grandi saxo tribula pressa terent.
Hæc circunducent stimulis haud mollibus acti,
Crebraq; anhelantes sub iuga panda boues.
Gens rapidi solis patiens, duriq; laboris,
Iuncta sibi caro queq; puella viro,
Certabunt fruges alternis tundere flagris.
Ictibus assiduis area tacta gemet.
Astra fragor feriet. grana excutientur aristis.
Spectabit ridens æthere flaua Ceres.
Nec dum defessis calidus de corpore toto
Manabit sudor: iam premet ora sitis.
Tunc paulum cessabit opus. recubantibus illis,
Quà patula herbosam quercus obumbrat humum:
Durati sale frustra suis, & olentia farta
Non deerunt. hortus cætera sufficiet.
Faginus inprimis crepitanti cantharus ore
Vitigenas cupidis sæpe refundet opes.
Plena coronati siccabunt pocula Bacchi.
Lenæus reficit corpora fessa latex.

Inde

Inde leuem paleam furca versare tricorni
Atq; hic, atq; illic acrius incipient
Flammati iuuenes simul, innuptæq; puellæ:
Ingrato fiet gratus amore labor.
Semotis paleis, cumulum cogetur in vnum
Trita iacens latè spicea messis humi.
Congerere hinc paleam, celoq; educere molem
Certabit puero quæq; puella suo.
Interea fauces arentes sæpe rigabit
Mista rubro haud parcè sobria diua mero.
Atq; vbi iam tandem surgens Euriq; Notiq;,
Instrepet arboreis leniter aura comis:
Contusas aduersæ auræ iactabit aristas
Brachia nudatus sole perusta Mycon.
Subsidet sincera Ceres. purgamina summa
Euerrent scopis Lyda, Napeq; soror.
Singula quid dicam? nos hæc spectare iuuabit:
Cum rapidus longo Sol coquet arua die.

M. TVLLII BEROII BONON. RVSTICORVM Liber Nonus.

SOLATIA AVTVMNALIA.

AT postquam extremæ complerint horrea fruges,
Horrea Arachnæis obsita textilibus:
Cernet & Arcturum propius, iam nocte fugata,
Purpureis Eos tempora cincta rosis:
Multa super, iucundaq́ erunt solatia Varre:
Dulcia quæ nobis tum quoq; rura dabunt.
Mollibus in pratis suspensa comantibus alnis.
Tendemus longa retia rara sude.
Frondosas inter sepes latitabimus inde:
Plurima quas morus consita ab arte tegit.
Cornices circum magno clamore volantes,
Cumq́ auidis miluis accipitrum omne genus
Ominis infausti coruos, picasq́ loquaces,
Ignauus bubo retia in alta trahet.
Non aliter laxos sublimis aranea casses
Tendit: & in tacitis delitet insidijs
Obseruat. volitans ecce obretitur asilus.
Exuere è laqueis se parat ille quidem:

At

At magis implicitat tenui se se undiq; amictu:
Et passis alis instrepit usque magis.
Donec prosiliens captiuum turgida Lyde
Arripit in tenebras: & cupido ore uorat.
Quin etiam interdum pingues captare iuuabit
Ficedulas multis per loca senta rubis.
Illas coniectæ fruticosa per auia glebæ,
Et manuum plausus, sibilaq; excutient.
Paulatim: & dulci cogent discedere ab esca:
Inq; cauæ densas retis agent maculas.
At sol cum rorem teneris exhauserit herbis:
Et mediæ lucis cum superarit iter:
Perdices nos sæpe, coturnicesq; iuuabit
Quærere odorisequa tonsa per arua cane.
Huic uestiganti latè loca cuncta sagaces
Continget nares deniq; notus odor.
Subsistet, nos respiciens: properabimus ipsi
Ex panso aduersam rete operire canem,
Atq; unà uolucres. consurget turba repente.
Effugiet nostras non tamen ulla manus,
Et rapida ora canis: quæ subter retra sæpe
Viuas cum nullo uulnere carpit aues.
Interdum Angephilus tegmen indutus Aselli,
Aut bouis herbosam pascere finget humum.
Perdicesq; ante obseruatas pone sequetur,
Paulatim impellens retis in insidias:

Quod protendet vtrinq; alas: atq; ordine laxos
Intus habens circlos, turbinis instar erit.
Quadrupedis sub pelle senem crepitacla gerentem,
Et gemina incuruum lata per arua manu
Cernere reptantem, crebroq; audire rudentem:
O perridiculam rem nimis, atq; nimis.
Incautas volucres longa inter septa, & in orbem
Carceris angusti deniq; victor aget.
Sæpe, vbi iam radijs Aurora rubentibus orbem
Auratis bigis vecta retexuerit:
Iuniperi, & lauri in sylua latitabimus. illic
Pellaces cantus fistula blanda dabit.
Hanc non ingrato quondam donauit amanti
Pieris. hanc labris dulciter inflat amans:
Et digitis pulsat. nec cessat fundere musam:
Qualem plumoso Faunus in aucupio.
Crebra dabit notas imitantia sibila voces
Alituûm: cæli quæ per inane volant.
Et tempestiuum inuitabit flectere carmen:
Quas in vimineis attulerit caueis.
Illectos fallent turdos lita vimina visco:
Quo correpta frequens arbore turba cadet:
Ceu pennis, summum dum captat mane, solutis
Icarus in falsas præcipitauit aquas.
Ah male caute puer: quo tendis? prospice patrem.
Audaces cursus dirigit ille tuos.

Heu

Heu miserande puer, patri sine fine dolorem
Linquis, & ingrato nomina clara mari.
Quid tibi tunc animi fuit, ò pater? vt potuisti
Tu quoq; non ijsdem concidere aequoribus.
Cùm te nequicquam, Pater ò, pater, ille vocaret:
Et simul insanis obrueretur aquis?
Sic igitur partem fallemus saepe diei:
Et facilè aucupij dulce feremus onus.
Per latos inuectus equo dum FVLVIVS *agros*
Praedatrice vagas alite captat aues:
Alite, quam solers alit: inq; hos erudit vsus,
Praeclara IANI *doctus ab arte patris,*
Felicis nato solerti, & Leucide nata:
Quae caris oculis est mihi cara magis.
Quippe cui niuea ora rubent: comaq; aurea fulget:
Stellarumq; instar lumina dulce micant:
Palladiaeq; artes cordi sunt, quaeq; columbam
Simplicitas deceat, virgineusq; pudor.
Quid, quòd digna canit Musis? quandoq; sonorum,
Multifidumq; leui pollice tangit ebur?
Et blandis me saepe suis dignatur ocellis?
Et citharae laudat mollia fila meae?
O me felicem tali, si coniuge dicam;
O miner: at felix omina firmet Hymen.
Dumq; adeò BARGAEVS *amor, & gloria Phoebi,*
Quem Pan insignem reddidit aucupio:

Fulmineo sternit plumbo, viscique tenacis,
Retium & instructis excipit insidijs
Ad fluuios, & stagna feras anatesque, gruesque,
Teque, paludosam qui colis anser humum.
Et facili accipitre, & catulis, qui nare sagaci,
Nec segni lustrant deuia rura pede.
Perdices capit, & quas olim has misit ad oras,
Deque suo dixit nomine Phasis aues.
Iamque adeò affectans volucres Phœbique, Iouisque.
Præruptas cautes, & iuga celsa tenet,
Auspicijs FRANCISCE *tuis, ò altera Etrusci*
Spes regni, ò claris edite semideis,
Et magnos reges geniture è coniuge magna:
Qui sceptra à magno parta parente gerant,
Non interrupta serie: dum Lydia culta
Irriget: & salsas influat Arnus aquas.
Interea Autumnus fœcundi ruris honores,
Et diues nitidas vinea pandet opes.
vndique pendebunt maturæ à vitibus vuæ,
Pomaque curuatis mitia ab arboribus:
Tum chorus agrestum, pars textos vimine qualos
Vertice, pars manibus lata canistra gerent.
Et tempestiuas decerpent vitibus vuas:
Quarum (ni fallor) fertilis annus erit.
Delectos omni certatim à vite racemos
Grandibus in calathis Lyda, Napeque ferent.

Quos,

Quos, olim mensæ ornamenta futura secundæ,
Sustineat dorso pertica longa suo.
Et totidem referent, aliosq́, aliosq́ subinde:
(Prouida sedulitas grande leuabit onus)
Quos tepidi siccent non parco lumine soles:
Seruet & in vernos scirpea cista dies.
Maturos fœtus tenero de corpore matrum
Abscindet dura cætera turba manu.
Quisque suum lectis qualum vindemitor vuis
Implebit, grauidis pendulus arboribus.
Ingeret hic pandis decerptas lintribus vuas:
Certatim labris ingeret ille cauis.
Sæpe viatori, magna qui voce cucullos
Forte ipsos vocitet, mutua probra canent.
Certabunt stolidis clamoribus. adstrepet illis
Et ripa, & curuæ vallis vtrunque latus.
Congestos alterna premet mox planta racemos.
Oblinet expressus sordida crura latex.
Tum pede calcatis incumbent prœla racemis:
Inq́ lacus altos turbida musta fluent.
Hic exultantes pueri circumq́, supraq́
Tinnula agent multos garrulitate iocos.
Hic palmis versis in pocula, pronus ab ipso
Musta lacu resonis hauriet ille labris.
Hic roseum laticem pressa resupinus ab vua
Stillantem patulis faucibus excipiet.

Alter suspensum collidet pollice botrum:
Rorabit sociíq; oscula hiulca sui.
Sordebit riguum cunctis mentumq́; sinusq́:
Et potis pleno diffluet ore merum.
Omnia plena iocis, plausum, risumq́ ciebit
Incerto titubans ebria turba pede.
At bonus interea non prisco more Palæmon
Dicet, Iô certis candide Bacche modis.
Huc ô Bacche veni: te nos sub tecta vocamus.
Huc ades: & nobis da bona vina bonus.
Sed patrium multa ingressus cum prole sacellum,
Suppliciter soluet talibus ora sonis.
O PATER *omnipotens mundi, ô dator optime rerum*
Quas fæcunda tuo munere terra parit:
Quòd lætas nobis fruges paulo ante dedisti:
Soluimus integra si tibi vota fide:
Nunc, si non paruo nobis est culta labore
Vinea: muneribus hoc super adde tuis.
Vincat vt ingentes pinguis vindemia cellas,
Reddemus meritis debita vota tuis.
Hæc nos prima tibi libamus pocula musti:
Cædet Acys caprum: carmina dicet Acon.
Suscipe parua libens cum puro munera corde
Proq́ tua semper nos pietate iuua.
Hæc vbi suppliciter perfecerit ordine vota,
A templo veniet protinus ille domum,

Hinc vuae partem compressae mittet in vrbem:
Aequali implebit dolia parte sua.
Feruenti musto spumabunt dolia paucos
Post diffundentur vina liquata dies.
Aureolos, croceosq; amnes Leneidos vndae
Vix capiet magnis cella referta cadis.
At dulcis partem musti, quo villica ahenum
Implerit; multo decoquet igne focus.
Brachia nudatus senior ramalia aheno
Arida subijciet, multifidasq; faces.
Ingentis costas lambet vaga flamma lebetis:
Et crepitus crebros irrequieta dabit.
Feruebit iam rauco intus cum murmure: iamq;
Bullantes spumas musteus humor aget.
Illas deducet decerptus ab arbore ramus,
Siue tua quercus, aesculee siue tua.
Vndantem subter gliscet Vulcanus ahenum:
Decrescetq; tumens Bacchicus inde liquor,
Donec totius pars dimidiata supersit,
Tertia ve: & fiant defruta, siue sapa.
Qua frugi mensae longum condire per annum
Multigenas possit villica docta dapes.
Dumq; hamata gerens legulus hastilia dextra,
Lustrabit lento Bacchica rura pede:
Extremasq; vuas alta speculatus in vlmo,
Hastifera cupidus detrahet inde manu;

Ipsa suas merces manibus Pomona benignis
Proferet, & pleno Copia læta sinu.
Rustica tum pubes calathos, & panda canistra
Efferet: & scalas induet aerias.
Pomaq; frugiferos curuantia pondere ramos
Certabit celeri carpere quisque manu:
Ceu volitans oriente die per roscida prata,
Purpureos flores sedula carpit apis.
Colliget hic regum celsas imitata coronas
Mespila, & in nostro Persica amica solo.
Hic pyra decerpet: metet ille rubentia mala:
Quæ dominæ cupidus postmodo donet amans.
Detrahet ille suis matura cydonia ramis:
E ramis alius lutea pruna suis.
Haud procul hinc alius pendenti ex arbore, fœta
Purpureis granis punica poma metet
Distringent cupidi pueri, cupidæq; puellæ
Zizypha, odoratiq; aurea mala citri.
Castaneas hirtas, duroq; putamine clausas
Pars hasta feriet, decutietq; nuces.
Pars vellet ventrem sistentia sorba solutum:
Pars imbuta rubro sanguine corna leget.
Pars oleæ baccas: quas salsus condiat humor:
Quasq; hieme in longa versa trapeta terant.
Robusti iuuenes, teneræq; ætate puellæ,
Cum gnatis mater, coniuge cumq; suo.

Hac

Hæc exportabunt: pars ciſtis, pars calathiſcis:
Succinctos ibunt pars onerata ſinus.
Hi grauidas illis ſportas, qualosq; ſalignos:
Hiſce ferent illi plena caniſtra domum.
Hinc vacuos referent calathos: iterumq; replebunt:
Sæpeq; gaudebunt ire, redire viam.
Plurima ſtramentis condent, & corbibus amplis,
Scriniolisq; noui Veris in vſque dies.
Haud aliter metuens hiemis formica niuoſæ,
Congeſtas Cereris depopulatur opes.
Anguſtum, nigrumq; agmen trahit ordine longo:
Quà tenuis certum ſemita monſtrat iter.
Feſtinant omnes. humeris pars nixa puſillis,
Atque ore exiguo grandia grana gerit.
Pars properat rurſum ad prædam: tellure ſub alta
Pars ſtipat ſpolijs horrea triticeis.
Omnes ferre iuuat victum, rurſusq; referre.
Redditur ipſe labor ſedulitate leuis.
At ſimul aduerſos metuens Hyperionis ortus
Se Tarteſſiacis Pleias abdet aquis:
Ecce feret læua diſtentum fruge caniſtrum
Iam propè tranſgrediens luſtra nouena Mycon
Et bona committet ſulcatæ ſemina terræ
Tinnula vox auidas hinc prohibebit aues.
Euinctus ſperone pedes, tectusq; galero
Ipſe ſuum repetet durus arator opus.

Sub

Sub iuga iam ſaturos coget: loriſq; reflexis
Ad ſua parentes iunget aratra boues:
Et ſtimulo increpitans, aruis inducet: & vnco
Ter iam proſciſſam vomere vertet humum.
Tunc quartùm inuertet: bene cultoq; obruet aruo
Semina iacta: auidæ ne populentur aues:
Et dulcem aut ſibi denſa vorent examina prædam:
Aut nidis pergant ore referre ſuis.
Hinc grauibus glebas marris pars franget inertes,
Putria diſſoluens vbera dulcis agri.
Obliquis pars elicibus incumbet agendis,
Conuellens duri dente ligonis humum.
Sedulitas hominum parentibus imperat aruis.
Deſidia fiunt omnia ſenta ſitu.
Cum grege natorum Tyrrhides deinde ſacellum
Ingreſſus tales proferet ore ſonos:
Nunc agite agreſtes mecum procumbite ad aras.
Concipite & tales me præeunte preces.
O DEVS *omnipotens immenſi conditor orbis,*
O qui tergemino numine cuncta regis.
Nos bene mollita telluri ruſtica turba
Sparſimus haud parca ſemina munda manu.
Tu Pater alme ſatis hyemem concede ſerenam,
Brumales modica nec ſine ningue dies.
Imbreq; de tenui Ver, ſolſtitiumq; lutoſum
Supplicibus votis annue ſumme Pater.

Laeta vti pubescant in apricis gramina campis:
Creditaq; immenso faenore reddat ager.
Tunc tenerum, & sine labe tibi mactabimus agnum.
Nunc quae parua damus, suscipe dona libens:
Sic te tergeminum, atq; vnum gens omnis ab ortu
Solis ad occasum rite, pieq; colat.
Haec fatus, pingues taedas altaribus addet:
Offeret & sacris thura adolenda focis.
Postquam autem ruptis Cerealibus vndique sulcis
Iam molle extulerit seminis herba caput:
Tellurisq; sinum laetus madefecerit imber:
Materno plantas transferet e gremio:
Perq; hortos in quincuncem, similisq; per agros
Ingenij facilis digeret arte manus:
Deponetq; altis scrobibus. hic rite locatas
Radices teneras obruet vber humus.
Nam Vere imbrifero, cum garrula venit hirundo:
Et gelidae tandem delicuere niues:
Non solùm radice sua plantaria viua
Cultu eodem vacuis infodiuntur agris:
Sed tenero abscissum germen de corpore matris
Accipit aut vtero terra subacta suo:
Aut sterilis arbos vel duri segmine trunci,
Vel fisso recipit nobilitanda libro:
Mox vt adoptatis natiuas inserat vmbras:
Cumq; nouis portet non sua poma comis.

At virides oculos oculis coniungere gaudet
Aestas ardenti solis adusta face.
Haec te aestiua manent, atque Autumnalia ruris
Commoda: tuq; tamen lente moraris adhuc?
Post illa hybernus pluuias secum afferet annus,
Acreq; cum niuibus, cumq; Aquilone gelu.
Iucundae fugiunt in morem fluminis Horae.
Haud repares vnquam, qui periere dies.
Angephilus noster dulcis risusq;, iocusq;,
Aduentum expectat nocte dieq; tuum.
Hic tibi saepe suos referet cum fletibus ignes.
Nec mitis dominae ferrea corda suae.
Saepe tibi canet haud inculta poemata. saepe
Talibus hic aures detinet ipse meas.
PIERIDIS *dulces irae, dulcesq; repulsae,*
Edita purpureis dulcia verba labris:
Dignaq; sidereis componi lumina flammis,
Dulceq; fulgentes aurea fila comae:
Quae mea iandudum corda irretita tenetis:
Ceu laquei volucres, retia & arcta feras:
Vosq; genae roseae, & gelidi vos hospita cordis
Pectora Sithonia candidiora niue:
Vos estis vires, atq; vnica gloria Amoris:
Vos estis vitae vitaq;, morsq; meae.
Fecit & hoc dudum: in patrio dum Pieris horto
Texeret aureolis florea serta comis.

IN-

INCANVM mihi quòd videas mentumq́, caputq́:
Ne me propterea, Pieri dura, fuge.
Nè ve superba meos iccircò despice amores:
Quòd tibi purpureus vernet in ore color.
Aspice in insigni, quod texis dædala, serto:
Vt benè iunguntur lilia cana rosis.
Pieris Hyppolita nuper comitata sorore,
Carpebat cupidà cerea pruna manu.
Interea, quæ solas Hylas audita notauit,
Nectebat tenui talia verba sono.
Non est vlla magis me fortunata puella.
Me (ni fingo mihi somnia) Phœbus amat.
Hic (nisi me ludit) Lyciæ dumeta relinquens,
Hæc nunc rura meo captus amore colit.
Huius & intonsi crines fila aurea vincunt:
Et leues pingit purpura grata genas.
O quàm dulce canit: cum tangit pectine eburno,
Et misto auratam percutit ore lyram.
Non tam dulce canit nec in alta Daulias alno,
Nec viuax Phœnix, nec moribundus olor.
Quis melius tenditq́ arcum? certamq́ sagittam
Dirigit? & signum cuspide figit? Amor.
Solus Amor. tali quòd amans ego dignor amante:
Non est me felix vlla puella magis.
Talia dum tenui modulatur Pieris ore;
Arboreq́ à celsa mitia pruna legit:

Præteriens illam Angeplulas procul aspicit: & nos
Aduocat: & propè plectra, lyramq́ capit:
Obnubitq́ rosis canos, lauroq́, virenti:
Et dominam proplus pergit adire suam.
Iam poterat satis audiri, tunc mollia tangit
Fila lyræ: & dulci talia voce canit.
PARVVS *Amor nuper venit sub nocte silenti;*
Pulsauitq́ meas calce, manuq́ fores.
Tunc ego, Quis pulsat, inquam: et mea somnia turbat?
Pone metum, atq; aperi: sum puer, inquit Amor.
Imbre madens totus per noctis oberro tenebras.
Me recipe ô tantùm sub tua tecta precor.
His precibus motus, accendo lumina: & illum
Iam miserans intra limina aperta voco.
Ille quidem puer: at Coryton habebat, & arcum,
Atq, alas. statuo sedulus ante focum.
Calfacioq́ manus manibus, madidisq́: capillis
Exprimo frigidulas officiosus aquas.
Frigore iam pulso, nunc arcum, ait ille, probemus:
Numquid & huic neruum læserit imber aquæ:
Tendit eum: mediumq́ iecur mihi figit, vt oestrum:
Et risum tollens, est mihi saluus, ait,
O hospes arcus: tibi verò corda dolebunt
Saucia: & exiliens protinus inde fugit.
Sic renouat mihi sæuus Amor sub pectore plagas:
Sic pro te cogor lux mea sæpe mori.

Hac

Hæc tum cantantem Pholoe prona audijt aure:
Post corylos latitans fortè sedebat humi.
Mundicies hanc mira senis, facies'q; superba
Vrit, & argutæ vox sociata lyræ.
Conuersum'q; aliò quærit malè sana querendo
Flectere: nec flaui munera curat Hylæ.
Et paulum curat, quòd sit pater Astylus illi,
Multi diues agri, lanigeri'q; gregis.
Sic placitum Veneri: discordia pectora, & ora
Sub iuga quæ sæuo mittit aëna iugo.
Talia sæpe tibi tunc ille poëmata multa
Plus quàm Pierio fusa furore, canet.
Quid cessas? te Varre tui expectamus amici,
Te liquidi fontes, te nemora alta vocant.
Expectat tua te Chloris pulcherrima: & istas
Mærenti lentas increpat ore moras.
Ah quoties. sed & hoc aliàs: nisi veneris ante.
At, si nos quid amas, ô precor ante veni.

M. TVL-

M. TVLLII BEROII
BONON. RVSTICORVM
Liber Decimus.

CHLORIS.

IAm canis Erigonæ sitiens Hyperionis æstu,
Cæruleæ salsas Tethyos haurit aquas:
Mitescunt solis radij: fit mollior æstas:
Cesserunt Zephyris ignea flabra Noti.
Tuq; moraris adhuc, me met mihi reddere? tandem
Huc ades, ò animæ portio magna meæ,
Aduentuq; tuo vnanimem solare sodalem:
Cui sine te letum, te sine dulce nihil.
Flaua comam, rubicunda genas, & candida pectus,
Te sine vel Leucis sordet amata mihi:
Leucis amata mihi, quantum non tempore in vllo
Formosa est cupido fœmina amata viro.
Quamuis illa meos non aspernetur amores:
Coniugij optati spem dederitq; mihi.
Nanque (tibi narro) nuper frondente sub vlmo;
Quà tegit herbosum densior vmbra solum:
Dum recubans legerem Hebrææ facta inclyta gentis:
Illa mihi exiguo murmure dixit, Aue:

Ac

Ac respondenti, salue mea lux, mea vita:
O si iungat Hymen te mihi: iungat Hymen,
Subiecit dulci faciem suffusa pudore:
Mane solet Paphijs qui color esse rosis.
Tunc ego solus eram. pedicis nam Fulcus alaudas
Captabat latebris abditus arbuteis.
Lusciniæ varios certabat vincere cantus
Angephilus lauros inter odoriferas.
Quòd si nulla tui tangit te cura sodalis:
Formosi & ruris commoda nulla mouent:
Ah miseræ saltem moueat te cura puellæ:
Quæ te plus oculis diligit ipsa suis.
Chloris Nympharum pulcherrima ruricolarum,
Chloris lacteolo conspicienda sinu,
Lucidulisq́ oculis, flauoq́ ad tempora cirro
Te cupit, ardentiq́ anxia corde perit.
Audiui nuper (post sepem forte latebam)
Cum sola illa sedens tempora fulta manu,
Suspiransq́, altoq́ madentia lumina tollens,
Talia mœrenti pectore dicta daret.
Varre mea requies, Varre spes vnica vitæ,
Huc ades. ô tandem lux mea Varre veni.
Te solum cupio. toto te pectore solum
Cogito: te tota perdita mente voco:
Cumq́ diem Phœbus promit, conditq́ sub vndis:
Cumq́ cicada fremit: noxq́ profunda silet.

Cur,

Cur, ah cur spernis miseram crudelis amantem?
Quæ tanta possunt te retinere moræ?
Istam vrbem mi dulcis amor, mea vita relinque:
Linque precor. tandem rura beata pete.
Vmbrosæ hîc sylvæ gratis venatibus aptæ,
Et dulci aucupio: quas colit alma Venus:
Quæ Phœbo, Musisq; placent: quibus innuba gaudet
Cum Dryadis acres figere Diua feras.
Gratior æstiuos hîc temperat aura calores:
Frondea dum blando perstrepit arua sono.
Hîc vitrei rauco labuntur murmure riui:
Aridaq; in medijs æstibus ora rigant.
Hîc densas inter frondes vaga turba volucrum
Arguto dulces concinit ore modos.
Hîc & odoratos pratensia sidera flores
Sedula delibans lene susurrat apis.
Hîc nemora, hîc Zephyri, hîc fontes, hîc roscida tempe:
Hîc vmbræ, hîc Musis ocia amica tuis,
O bona vel diuis non aspernāda. quid oro,
Vrbs tua, quid tantum nunc habet ista boni?
Nempe graues curas habet, ingratosq; labores,
Et cum verboso iura operosa foro.
Natura ipsa docet: ruris quàm vera voluptas.
Nam quem non hortus, sylvaq; in vrbe iuuat?
Et pictæ tabulæ, & thalamis aulæa superbis?
Belgica quæ docta texuit arte manus?

Quæq; altas referunt ſyluas, fruticesq; virentes,
Errantesq; inter denſa vepreta feras.
Vos falſis oculos iuuat oblectare figuris:
Nos veras formas, gaudia vera ſequi.
Huc ades, ò mihi care. quid ah, quid lente moraris?
Tolle moras ſegnes: ò mihi care veni.
Sat dulci ſaturare tuo mihi lumina vultu:
Sæpeq; nos inter dulcia verba loqui.
Huc ades, ò mea vita, manent te ſerta hyacintho
Diſtincta, & violis, atq; apio, atq; roſis.
Talia texentem tibi me non vicerit vlla
Dædala ſeu Nais, dædala ſiue Dryas.
O ego ſi ſuaues pepones, ſi cerea pruna
Ipſa tibi donem munera grata manu:
Quæ pendere ſua patior tibi in arbore denſa:
Quæq; mei patris fertilis hortus habet.
Rumpe moras tandem: & ſpinoſas pectore ab ægro
Velle mihi curas: quas Erycina ſerit.
Te ſine liqueſcunt cæcis mea corda fauillis:
Liquitur vt lentis cera tenella focis:
Aut tenera in riguas canis è montibus vndas
Nix vt abit tepido flamine victa Noti.
Te ſine ſic mea mens tenebris obducitur atris:
Pallida tellurem noctis vt vmbra tegit.
Vtq; nouus radijs Hyperion dimouet vmbram,
Purpurei reſerans ora ſerena poli:

Sic nitida tu luce tua, risuq; sereno
Discuties mentis nubila fusca meæ.
Te sine sunt oculis hyacinthi triste rubentes,
Pallentesq; rosæ, liliaq; atra meis:
Nec Myrtus, Laurusq; mihi nunc spirat odores:
Lampsacij sapiunt nec mihi poma dei.
At si tu venias: hyacinthi suaue rubentes,
Purpureæq; rosæ, canaq; lilia erunt:
Et mihi cùm myrto laurus spirabit odores:
Lampsacij sapient & mihi poma dei.
Sæpe mihi reducem te dulcia somnia fingunt:
Somnia sed fallax irrita mittit ebur.
Dulcis at iste tamen semper mea lumina somnus
Claudat: meq; istis ludat imaginibus.
Sic potius: quàm me sine te noctesq;, diesq;
Insomnes multis ducere cum lacrymis.
Sed surdas nequicquam aures cur alloquor? vna
Tu socias questus me miserata meos,
Vallibus, atq; antris assueta, & fontibus Echo:
Nympha olim, nunc vox: ah nimis improbe Amor.
Tu quoque crudelis Narcisse. sed ipse dedisti
Sæuitiæ pœnas, & dabis vsque graues.
Dum tua tristis amans curuis resonabit ab antris:
Dumq; tibi Stygiæ lympha paludis erit.
A te Varre tamen sint hæc procul omnia. quanquam,
Hei mihi, nunc alio forsitan igne cales.

Ante

Ante tamen deserta nouo quàm tangar amore:
Et tuus è nostro corde recedat amor:
Carpet apis dumos: pascentur rore capellæ:
Ante lupus niueas mitis amabit oues.
Insignis me turba licet sectetur amantum:
Plusq́ suis oculis me Ligurinus amet:
Et roseum malum donans, Hoc accipe munus,
Dixerit, atque animum, ò mea Chlori meum.
Quippe vnum te Chloris amat: suspirat & vnum:
Teq́ vnum summo Chloris amore colet:
Dum miseræ ducent fatales stamina fusi:
Postq́ etiam: si post sensus amoris erit.
Testes vos nimium crudelia sidera. testes
Vos nondum strictis densa salicta comis.
Testes vos auræ. vos ò crudelis ad aures
Hos imo effusos corde referte sonos.
O quoties sic illam audiui Varre querentem:
Quæ non vna tuæ maxima pars animæ est?
Et merito. præstinguit enim nitido ore puellas:
Quæcunq; hæc latè rura venusta colunt:
Qualis, vbi pingunt purum vaga sidera cælum,
Astra minora suo lumine Luna premit.
Ergo veni: iustaq́ preces ne sperne superbus:
Nec surdas aures aspidis instar habe:
Quæ caput arenti sacrum defigit arenæ:
Et magicos clausa reijcit aure sonos.

Crudeles Nemesis malè multat. tu caue quæso,
Ne miris in te sæuiat illa modis.
Est vehemens dea: si nescis. Aegetas heros
Sensit: quiq; sui tabuit igne puer.
O Hymen, Hymenæe, Hymen iam rustica pubes
In numerum læta dicere voce parat:
Et viridi in prato choreas ductare sub vmbra:
Dum lætum inflato tibia folle sonet:
Pinguibus & mensis læto discumbere cætu:
Poculaq; annosi ducere crebra meri.
Pierida Angephilo felici sidere tandem
Despondit diues non sine dote pater.
Ficetum pro dote datur, valideq; colendus
Hortulus, & dulci sæpe rigandus aqua.
Tandem vicit eam non saga & carmine, & herbis,
Sed cata lena suis artibus vsa Bice.
His Phœbus placido sponsalibus annuit ore:
Supplicibus votis cessit amantis amans:
Qui non inuitæ sponsæ tria basia tantùm,
Pro facili assensu munera pacta, dedit.
Ex albis sponsus spinis incidere tedas
Iam parat, & prisco spargere more nuces.
Punica iam quærit, quæ sponsæ munera mittat,
Coralia, & bullis cingula compta suis.
Iam teneros lusus, & mollia gaudia mente
Suspirat dulcis nocte dieq; tori.

Sæpe his optatos affatur Vesperis ignes:
Cum Sol fumantes æquore tinxit equos.
O INGENS decus astrorum, decus Hespere cæli,
Exoptate nouis Hespere coniugibus:
Ecquando surges cupido mihi gratus amanti?
Ecquando nitida gaudia luce feres?
Qualia nuper Hylæ votis optata tulisti:
Mutatam Pholoen ille beatus habet.
Fer mihi iam tandem felicia gaudia noctis.
O nox cara mihi luce futura magis:
Qua mea in ambrosio complexu corda liquescant
Delicias inter, dulceq; amoris opus.
At tu almæ sydus Veneris, dulcissima tandem
Gaudia purpureo fer mihi vectus equo.
Tunc geminas mactabo tibi, Veneriq; columbas:
Inq; tuas laudes carmina mille canam.
Sic ait: & noctis desiderio illius ardet:
Increpat & longas anxius vsque moras.
Immensam huius lætitiam quis carmine possit
Complecti? nullus lætior esse potest.
Cuncta querelarum, & duri loca conscia amoris
Nunc gaudent sponsi gaudia magna noui:
Gaudent Pastores & Nymphæ. grata maritis
Omnes certatim munera ferre parant.
Caseolos cum buccellatis, lactis, & obbas,
Erucam, bulbos, ouaq; nata recens,

Et gallinarum fœtus, ouumq́ gemellos,
Et rosea in pictis poma parant calathis,
Fescenina crepant conuicia ruris alumni
Vndiq;. permißis omnia plena iocis.
Sume marite pedum neruosius: insere ramum:
Pande fores horti: collige iamq́ rosam.
Quin parat ad thalamum modulans hoc dicere carmen
Purpureis sertis tempora cinctus Hymen.
O FELIX Virgo, cui pergit soluere zonam
Vates: quo nunquam notior alter erit.
O Felix vates, cui dulcia gaudia præbet
Virgo: qua nunquam pulchrior vlla fuit.
Ludite felices caris complexibus ambo;
Et simili vobis prole beate domum,
Gaudia ad hæc festasq́ dapes, choreasq́; iocosq́,
Te nouus hic sponsus, te noua sponsa vocat.
Huc te cuncta vocant. tu verò spernere noli:
Tecta meæ quanuis non laqueata domus.
Nam sæpe heroes constructa mapalia fronde,
Et magni tenues Dij coluere casas.
Herbiferis quoties in aquosæ vallibus Idæ
Dardanius subijt vilia tecta Paris?
Mercurius quoties liquidi Ladonis ad amnem
Calcauit cupido limina parua pede?
Cùm tenero flauæ Dryopes correptus amore
Balantes pastum duceret ille greges?

Agre-

Agresti quoties requieuit stramine culmi
Aurea lanigeras Idalis inter oues?
Anteferens Marti, atq; alto Memphitica cælo
Pascua, & amplexus dulcis Adoni tuos?
Et quoties ingens Amphrysum propter amœnum
Delituit vili Cynthius in casula?
Pellitus cum tesqua colens, vallesq́ Pheræas
Admeti celeres pasceret exul equas?
Parua quidem domus est: sed habet tamen atria, turres,
Frigidulas cellas æstibus in medijs.
Sed picta est, & munda situ: citharisq́ sonoris,
Et cantu, & risu, milleq́ læta iocis.
Prospectus at habet gratos, cælumq́ salubre:
At vena est felix vbere dulcis aquæ.
Prospicit hinc alti longum latus Apennini:
Quo (mihi crede) nihil pulchrius esse potest.
Fructiferis nitet arboribus, villisq́ superbis:
Pinguiaq́ effusis amnibus arua rigat.
Velatosq́ effert viridanti gramine colles:
Quos auido morsu plurima pascit ouis.
Sumere pingendis terrarum Prosperus oris
Aptius exemplum non aliunde queat.
Illinc dimensum quadris æqualibus hortum
Aspicit. hic olerum prouenit omne genus.
Directa in quincuncem vmbras arbusta ministrant:
Et matura suo tempore poma gerunt.

Pam-

Pampineæ media includunt spatia ordine vites.
Dulce rubens suaui fragrat odore rosa.
Et calathis rident candentia lilia apertis.
Et viola haud vno picta colore nitet.
Effusa alueolis hîc denso examine ludit:
Et rorem, & flores impigra libat apis.
Hîc densæ coryli, hic arbos Phaethontias, hîc &
Laurus honos vatum, Pinus & hirta comas.
Quis cum Myrtus adest veteris non nescia fati:
De qua fabellam hanc pagina prisca refert.
Olim Myrsine forma pulcherrima virgo
Venatricis erat maxima cura Deæ.
Sæpe fatigabat syluas canibusq́, plagisq́:
Audebatq́ truces cuspide inire feras.
Hærebant illi comites Melibæa sagittis,
Et cursu ceruos vincere docta Nice.
Sæpe viros cursu, & dura superare palæstra,
Frondeq́ victrices cingere sueta comas.
Ah quid non cogis mortalia pectora liuor?
Androgeos petijt per te Acherontis aquas.
Per te Myrsinen letho demisit acerbo
In stadijs toties victa caterua virûm:
Extinctam sociæ flerunt, syluæq́ puellam:
Fleuit & effusis Cynthia mæsta comis.
Quin Pallas toties mirata merentis honores
Fleuit: & ô nostrum candida virgo decus,

Non

Non cinis exiguus tristi condère sepùlchro:
Sed formosa tui nominis arbor eris.
Dixit: & in Myrtum conuertit protinus illam.
Inde & Dictynnæ Myrtus amica deæ.
Cædis at infandæ damnatos iusta uirago
Perdidit, in tortis ignibus vsa patris.
Quid memorem densas viuo de cespite sepes?
Inq; herbescentes compita secta vias?
Quid latas dicam fossas? quis cingitur hortus?
Vtq; illas torpens, at liquida implet aqua?
Quam ranæ assuetæ ripis, nimiumq; loquaces,
Tardaq; testudo, pisciculiq; colunt?
Hortulus hic mollis sæpe fouebit in vmbra:
Inq; suo dulci Villula læta sinu.
Ergo veni, propera: ceu Ladas curre volaq;
Vt leuis in gemino cui pede penna fuit.
Hyrcanæ paruus ni tigridis vbera suxti,
Septaq; ni duro corda adamante geris.
Nimirum venies: nisi me præsagia fallunt.
A læua cornix en rata signa facit.
Et mitis mater puro te lacte rigauit:
Pectoreq; in molli mollia corda geris
Pulchra vocant te rura, vocat te candida Chloris,
Dulcius & dulci melle sodalitium.
O tecum veniat si Dennys Haganius, ille
Aerius falco: qui per inane volat.

Serpere humiq́ alios putat. à si venerit vna:
Quos risus nobis, quos dabit ille iocos.
Vidisti gallos nostrum quibus horret adunca
Cuspide: crista rubet: lumina luce flagrant?
Dum gemini sese infestis assultibus vrgent?
Imperium duro quò sibi Marte parent?
Sic inter se certabunt par nobile vatum
De lauri palma Demys, & Angephilus:
Angephilus rutilo Martis rubicundior igne:
Demys inaurata pallidior statua.
Spectabunt densi agricolæ: spectabimus ipsi.
Agger arenosus grata theatra dabit.
Vnguibus, & pugnis, et calcibus, & maledictis
Pro causa cernet durus vterque sua.
Anceps pugna diu: non Bitho Bacchius olim,
Thrax Mirmilloni compositi melius.
Auguror. Angephilo succumbet deniq; Demys.
Victorisq́ caput laurea prima teget.
Hanc statuet nostro iudex æquissima vati
Imponetq́ sua Melpomenea manu.
Tum victo dicet: Quid fles? nihilominus ipse
Noster (ne dubita) dexter ocellus eris.
Texta manu nostra non CAESAR maximus olim
Imposuit capiti laurea serta tuo?
O qui spectantum risus, plausus q́ sequentur.
In leta spectes latius vrbe nihil.

Huc

Huc igitur veniens istum risumq́, iocumq́
Duc ô tecum: & nos Demyde, teq́ bea.
Ac (me siquid amas) caros mihi iure sodales
Ante salutabis, nomine quenque meo:
Scilicet & GAZAM: doctæ quém Palladi gratum
Grata Dijs etiam rustica mœsa iuuat:
Est testis Rhenus: Damones illius ille
Audijt, & pronus in Venerem Satyros:
Et meum AMASAEVM Graiæ, Latiæq́ Mineruæ
Incrementum ingens, effigiemq́ patris:
Et Vatem, cui Constantis pia facta canenti
Castalius dictat carmina culta chorus:
Et RESECVM, doctâ qui dextrâ in pulpita ducit
Te molles socco Felsina vincta pedes:
MORELLVMq́ meum, quo Mantua vate superbit:
Candidus est index carminis ille mei.
SIGONIVM quoque, & ODONVM saluere iubeto:
Qui sunt Ausonij lumina clara soli:
Phyllirides huic herbipotens assurgit: & artes
Ipse suas Pæan, & sua plectra dedit:
Doctorum monimenta virûm vigil excutit ille:
Explicat & culto cultius eloquio:
Felsineæq́ vrbis deducta ab origine prima
Incumbit nostrûm pangere facta patrum:
Præcipuam FABIO dices, MADIOq́ salutem:
Ambo Felsinei sunt decora alta soli.

Hunc Natura parens docet abdita terræ motus:
Ille acris pollens viribus ingenij,
Scriptorem Italidos falsi conuincit: & vmbri
Tam benè defendit facta decora Ducis:
Claret & in primis: quà velox arua Metaurus
Irrigat: & flauas voluit Isaurus aquas.
Nunc vbi Dux clemens, & seruantissimus æqui
Iustitia populos, & pietate beat.
Cumq; (vt sæpe soles) penitus doctoq; bonoq;
Suauiloquum panges STATIO *epistolium:*
Ante meis illi verbis, memor esto salutem
Dicere, quàm scribas: ò mihi care vale:
Ille poetarum quos sæcula docta tulerunt;
Exculti præstans dotibus ingenij,
Miras virtutes, abstrusaq; sensa recludit:
Cæcaq; Palladia vulnera sanat ope.
Et sacros versus vatum exprimit Hebræorum
Docte tuis numeris Flacce, Maroq; tuis.
Felix ter magnò nunc Lusitania rege:
Sed nato hoc felix terq; quaterq; suo.
O quàm nunc illum desiderat anxia: verùm
Texit ei magnum maxima Roma decus.
Nam BECCATELLVM, *cuius probitasq; fidesq;*
Ingenti Cosmo tam benè nota fuit:
Et SIGICELLVM; *Corneli ad vulnera Celsi*
Sollertem doctas rite adhibere manus,

No-

Nostra salutauit sub adultam pagina messem :
Ferreq; me in cincto dixit vtrunq; sinu.
Quid moror ? in primis sacræ dabis oscula dextræ
Purpurei patris, pronus ad vsque genis :
Qui dono diuûm nobis optantibus alto
Demissus, patrias tam bene pascit oues :
Et dextræ illius: (Titiani celsa beatum
Ni fortè, aut potius Tusculа villa tenet)
Quem maior pastorem suspirat Balearis:
Quiq; insigne bonis præsidium esse solet :
Qualis & ipse soles, patriæ ò lux altera nostræ,
O pars purpureûm maxima SIXTE *patrum.*
Istorum & prudentiam, & egregiam pietatem
Admirorq;, coloq; assidueq; colam :
Dum meus hac dulci vescetur spiritus aura :
Et mea Cælesti munere membra reget
Sed quis io nostras, quis nuntius accidit aures ?
Venit Hylax Varri ? Varrus & ipse venit?
O quid contingat nobis iucundius ? ò quæ
Lux signanda mihi candidiore nota ?
Occurramus ei properè. ò te Chlori beatam :
O nos felices, approperemus, adest.

PANI.

HACTENVS agrestes dulci cum rure puellas
Pan tuaet his tecam me cecinisse modis:
Et tandem elicuisse vrbe ad solatia Varrum:
Quæ multa hîc nobis tempore capta suo:
Dum virides vmbræ, dum mollior aura vigebat:
Pictaq; dum vario flore nitebat humus.
Decutit arboribus Boreas nunc tristis honorem:
Aruaq; iam pluuijs inficiuntur aquis.
Diuulsi caro amplexu prædulcis agelli
Cogimur ingratos vrbis adire lares.
Ante tibi hac pinu emeritam suspendo cicutam:
Annosiq; duo pocula libo meri:
Hæc addo pingui spumantia cymbia lacte.
Hæc nunc parua libens suscipe dona precor.
His rursus, teneraq; super donaberis agna:
Densat vbi graciles pinea sylua comas:
Cum primum Zephyrus rediens genitalibus auris
Veste soli dorsum versicolore teget.
Si dederit nobis magni Rex maximus orbis
Ad nostra hæc cupidos regna referre pedes,
Diuulsi caro amplexu prædulcis agelli
Cogimur ingratos vrbis adire lares.
Formosæ Nymphæ, suauissima rura valete:
Pan dilecte pater, dulcis auena vale.

Lin-

Linquo animum vobis, discedens corpore. vos ô,
Este mei memores: vestri ego semper ero.
Quid loquor ah demens? curæ discedite inanes.
Ite procul. melior iam mihi cura placet.
Omnipotens ô CHRISTE DEI omnipotentis imago,
Per tua te supplex vulnera sancta precor,
Da nobis animi pacem: da vincere curas
Humani generis: da tua iussa sequi:
Vt Labyrintheæ defuncti tempora vitæ
Dignemur regnis Arbiter alme tuis.
Illic tuta quies, illic sincera voluptas:
Illic est summum, perpetuumq́ bonum.

FINIS.

Errata quæ grauiora ſunt, ſic corrigito.

Pag.	Lin.	Errata.	Correctio.
5	14	In cautum, pinguit.	Incautum, pupugit.
5	19	grata,	gratæ
10	24	ſua.	ſuæ
13	23	repentes.	repetens.
14	3	facta	tacta.
16	22	canori	cancri
17	4	puero	pueros
18	20	latis	lati
18	21	miere	miſere
18	22	Laureas	Laurens
19	10	æquis	equis
28	19	Dametus	Dametas
48	2	genus	bonus
49	17	tandem	eadem
57	17	aurer.	aure
60	3	vincere	elncite
65	9	virunq.	virumq.
67	3	ſeruas	ſeruat
72	14	Mincius	Mincias
79	8	alia	alias
82	3	ex	E
84	25	Neſter	Noſter.
89	2	rondes	frondes
89	6	exerta	exuta.
96	19	vere	veræ
97	7	numine	numina
101	13	violataſq.	violaſq.
101	22	Pholoeos	Pholoes
102	5	Statuis	Statius
110	12	mengens	morgens
127	7	Ae	Ac
136	22	Feſta	Feſſa
138	9	Turpinibus	Turbinibus
139	6	Nen	Non
143	11	axhauſerit	exhauſerit
143	21	retra	retia
146	22	Vertiice	Vertice
163	23	iuſtaq:	iuſtaſq:
168	9	Quis	Queis